PETRI CARPENTERII IVRECONSVLTI, PIVM ET Chriſtianum de armis conſilium, ad Dominum Lomanium Terridæ & Sereniaci Baronem.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

1575.

PETRI CARPENTERII IVRECONSVLTI, PIVM ET Chriſtianum de armis cõſilium, ad Dominum Lomanium Terridæ & Sereniaci Baronem.

QVia teſtimonio Dauidis,
Felix ille quem non de tramite recto
Impia ſacrilegæ flexit contagio turbæ,
Non iter erroris tenuit.

Eo tibi quem feliciſſimum & quàm ornatiſſimũ eſſe cupio, author fui, vt à cœtu illicito,& ab armis nefariis te quantum poſſes,detraheres, & vt relicta ſemita erroris,quæ te imprudentem ad oppugnandum regem ducebat,ſecun dum Deum, & viam regiam,& tibi à Deo dati regis voluntatem ambulare inciperes. Qua in te eſt quod gaudeam & mihi gratuler:conſiliis paruiſti meis,poſitis armis te domi cõtinuiſti,& faſces(vt ita loquar)regi ſubmiſiſti. Et cùm ex conſilio meo eam tibi fore voluntatem perpetuam regi Carolo,& reginæ matri litteris ſignificaſſes, ego apud

eos pro te ſponſor interceſſi, eámque rem ita fore meo periculo recepi. Qua de cauſa vt te in ea mente atque deliberatione me impulſore primũ ſuſcepta te contineas, ad ſolicitudinem meam maximè pertinere ſum arbitratus, eóque vbi audiui Henricum regem ex Polonia aduentare, continuo ad te tabellarium cùm litteris miſi: quibus te obteſtabar per dignitatem & ſalutem tuam, quę mihi chariſſima eſt, vt regi cum nobilibus qui te comitabantur, obuiam ires, eam rem quòd ad exiſtimationẽ & officium tuum maximè ſpectare viderẽ, iiſdem litteris à te obnixè contendebam: in quibus meo iudicio nihil prætermiſi earum rerum quæ ad te adhortandũ & permouendum pertinerẽ videretur. Inter cętera noui Regis virtutes rariſſimas, rebus cum pacis, tum belli clariſſinas, quales ſunt omnium conſenſu, verè, ſimpliciter, ſine aulico fuco & verborum lenociniis expreſſi: quas hoc loco inculcare non lubet, ne videar id facere magis adulandi regis, quàm tui pertrahendi gratia: à quo vitio ego omnium homium longiſſimè abſum, qui reges non tam ſceptri, quàm virtutis ratione colo atque ſuſpicio, & qui reginæ

matri omnium optimæ atque prudentiſſimæ principi eo ſolum nomine me addixi, quòd illam incolumitati Galliæ & ſaluti communi, quæ ſumma eſt omnium legũ, quas profiteor, addictiſſimam eſſe videam. Honori, ſaluti, familiæ, fortunis denique tuis optimè conſules, Lomani, ſi conſilij mei rationem ex nouiſſimis meis ad te litteris ſecutus fueris, quas à me fideliter & amicè conſcriptas quoties perleges, toties intelliges quid nos qui Chriſtum profitemur regi præſtare, & quid ab rege Chriſtianiſſimo omnibus virtutibus, maximè humanitate inſtructiſſimo, ſperare debeamus. Caue itaque ne quid inconſultè feciſſe, & tibi ipſi defuiſſe videare, cui ſuppetit tanta piorum & ſalubrium conſiliorum copia, ab eo iuriſconſulto profecta, qui tibi optimè conſultum cupit, & qui certiſſima & fidiſſima ex arte ſua cõſilia, quoties vſus fuit, exhibuit, exhibétque hodie indefeſſo quodam ſtudio. Nam etſi Lugduni nouiſſimè nunciatum ſit regem à te conuētum non fuiſſe, & te ſeditioſorum & perditorum artibus, & falſis tibi iniectis timoribus ad arma ſemel depoſita rediiſſe: tamen nolui officio meo tum amici, tum con-

ſulti deeſſe: & morbum in quo malorum perſuaſionibus atque veneficiis recidiſti, maiore quàm antea arte, & conſiliorum ſalubrium ope curandum putaui. Conſiſilium atque medelam eãdem morbo tuo adhibere conſtitui, qua ſum ego ipſe vſus, cum eodem genere morbi, quo tu nunc es affectus, conflictarer. In primo tumultu Gallico Tholoſæ duos publicè miniſtros Barrellium & Nortum, hunc pacis & patientiæ, illum armorum & bellorum authores habuimus. Ego tunc temporis iuuenili errore ductus, me Barellio addixi, & putans me Chriſto militare, arma apertè foui & tractaui, & ea opinione armorum ſemel imbutus, eam mentem vix vi excutere valui, cúmque] nullis humanis rationibus ad abdicationem armorum perſuaderi quiuiſſem, tandem diuinæ ſcripturæ pręceptis atque medicamẽtis adhibitis, facilem & expeditam rationem valetudinis comperi ex aſſidua lectione euangelij (ad quam ſerio, etſi nimis ſeró me contuleram) me in perſecutionibus quas appellabamus, nihil minusquàm Chriſto, & ſuis auſpiciis militaſſe didici. Sícque cùm ſingulari dei beneficio reſi-

puiſſem, & ſignâ mea à Barrellio ad Nortum transferre cogitarem, vide quanta ſit facta rerum viciſſitudo. Nortus qui antea Toloſæ tolerantiam & patientiam mihi fruſtra cecinerat, poſtea Rupellæ claſſicũ canebat, bella omni ratione cõmouebat, totúſque in illis erat, mei tamen maleuoli, qui tibi etiã quod me ames & audias minus ſunt amici in eadẽ re cauſaque Nortifactum, qui ex pacis præcone belli tuba factus eſt, laudant, & me quod eiurata humana militia, ad Chriſti militię defecerim, inconſtantiæ nomine notant, omnia alia conficta genera conuitiorum, quæ odio veritatis, & propter à me aperté detectam factionem cauſariã, in me quem pridie quàm de cauſa ſcriberẽ vti magiſtrum & patronum ſuum prædicabant & venerabantur, incenſi coniecerunt, quod ad me & meos mores quibuſuis piis & doctis probatiſſimos non pertineant, contemno. Hanc tamen vnam inconſtantiæ maculam, quam mihi cum aliquo prætextu obiicere videntur, Iuriſconſulto qui veram philoſophiam profitetur indigniſſimam, per te elui quoties in eorum acculeatos ſermones incideris, volo. Quod fa-

cilè facies, & ſimul morbo & errori tuo medeberis, ſi pias iſtas rationes, quibus liberatus à peſtifero illo ardore atque errore armorum fuerim (hoc conſilio à me cōplexas in tui gratiam) attentè legeris atque examinaueris.

Tota res militaris, pugna, fuga, pace cōtinetur. Pugna quæ hominum ductu inſtituitur, armis maximè nititur: Contrà, pugna quæ duce Chriſto in perſecutionibus ſuſcipitur, patientia continetur, legibúſq; Chriſti militaribus quàm repugnēt ac rebellent legis humanæ militares, ex eo maximè coniicere liquet, quòd humanæ leges in perſecutionibus vindictā & propulſationem permittunt, omnium denique gentium mores ethnici Imperatoris teſſeram illam militarem, Decet virum vlciſci iniuriam acceptam, probant. Soli ex omnibus hominibus Chriſtiani eā non recipiunt, qui ſolam patientiæ & æquanimitatis teſſeram agnoſcunt, quæ præceptū Chriſti ſui ducis acceptas iniurias benefactis & benedictis compenſare iubētis, cōtinet, quam ille per teſſerarios ſuos euangeliſtas, per omnem orbem terrarum, & per contubernia militum ſuorum more

militare

militari nunciari iuſſit. In vetere quoque teſtamento exauditur interdum ſtrepitus armorum, & tuba quæ ad bellum & vindictam incendit, iubente vel adnuente domino. Sed illę res trahendæ non ſunt in exemplũ Chriſtianis in perſecutionibus. Nã omnis diſciplina militaris quæ in perſecutionibus ad repellendum hoſtem nobis arma miniſtrabat, & docebat noſtras manus ad prælium, & digitos ad bellum, poſtquam Deus loqui cœpit per filium in plenitudine temporum, euanuit, quod, vt quidam ex antiquis patribus dixit, aliam rerum diſtributionem & diſpoſitionẽ ordo temporum depoſceret, & ideo rem militarem noluit Chriſtus ſuos præiudiciis & exemplis veterum patrum tractare, ſed ad oculum, vt dicitur, & in rem præſentem, eóque apoſtolos milites ſuos, quòd à Samaritanis prohibiti teſtis exemplo prophetarum militũ veteris teſtamenti euocare ad eos conſummẽdos cæleſtẽ ignem & vindictam exercere voluiſſent, grauiter increpauit, exprobrans illis quod neſcirẽt quo ſpiritu ducerentur, & ignorarent tibiæ celeſtis minimè incertam vocem, neſcientes caſtrenſem muſicam rei militaris

partem,& quantum interſit inter eā quæ ducit in bellum,& eam quæ reducit & reuocat à bello. Spiritus enim & tuba illa veteris teſtamenti,quę nos in pugnas educebat,& vltionis & vindictę ſignū dabat,poſt aduētum Chriſti ſummi imperatoris ceſſauit, & cæpit tunc Buccina perſonare, & inſignis ea vox imperij,quę preſente imperatore cani ſolet & exaudiri, qua reuocātur apertè Chriſti milites ab ſtudio vindictæ,& contuſa omni pugnæ alacritate, iubentur locum iræ dare, ipſo Domino apertè dicente & clamante: Mihi vindictā, ego retribuā. Neque in exercitu Chriſti vti in vetere aruſpicina pars aliqua præcordiorum familiaris eſt, altera hoſtilis. Namque cor chriſtiani militis, & quicquid in præcordiis eius eſt,inimicitiis & hoſtilib⁹ odiis carere debet. Et ideo Chriſtus cū in excelſo & illuſtri montis loco tanquam ex ceſpitio ſuo tribunali, edicta ſua militaria euulgaret, ita præfat⁹ eſt, antiquis dictum eſt, Oculum pro oculto eruunto, Inimicū odio habēto: at ego veteres leges nouans,vobis nouis hominibus dico,malo ne reſiſtunto, inimicū diligunto. Quibus verbis docet apud antiquos militaris tibiæ modū Phry-

gium, qui rapidè animos audientium ad bellum & vindictam acuebat, in vſu fuiſſe, & ſe illum in Darium modum diuinũ & religioſum, à cupiditate belli & vindictæ deducentem, immutaſſe. Veteres dextras dari inimicis non conſuluerunt, humanam illam depugnandi rationẽ vt dextræ manui & alæ aduerſariorum ſiniſtram iungamus, ad illos facilius oppugnandos retinuerunt. Atqui Chriſtus dextras noſtras dextris inimicorum iungi in ſignum beneuolentiæ imperat, quos etiam eò à nobis diligi, potari, cibari iubet, vt intelligamus veterem illam legem militarem, quæ capitali pœna afficiebat eos qui hoſtes cibo, potu vel alio comeatu iuuiſſent, è medio ſublatam eſſe. Et cùm in genere iubet omnia noſtra commoda cum inimicis communicare, ſatis nos docet veterem illam & primam regulã rei militaris, vt quicquid nobis proſit, noceat aduerſario, nõ habere locũ in iure militari Chriſti: illo quidẽ inimicos noſtros cum ſeptẽ nequitiis & omnibus ſuis copiis & viribus impetum in nos facientes excipere toto fronte & ſinu iubemur: ſed longè alia ratione quàm homines faciant. Nam illi ex

arte militari iubent cuneum aduerſariorum excipi forfice facto, quo aduerſarius incluſus, facilius opprimatur, & vt malum malo vincatur. Sed Chriſtus iubet nos ordinari in formam forficis, & literę V: ita vt extenſis brachiis & aperto ſinu illos amiciſſimè complectamur & foueamus in bono malum vincẽtes, & pro illis leuatis manibus ſine ira orantes. Leges iſtæ militares Chriſti, quibus perſcribit ſuis militibus ne ab inimicis illatas plagas & iniurias referant & retalient, & omni officiorum & beneficiorum genere eos proſequantur. Illis qui ſub vexillis humanis, Aquila, Pardo, Vrſo, Lupo, Minotauro antea militarunt, & illis tanquam ſemiuocalibus ſignis ad furorem & immanitatem incendi conſueuerunt, duriſſimè & abhorrentes à cõmuni bellorum vſu videbuntur. Sed illis qui in animum ſuum induxerunt Dei vexillum, ex capitolio & arce cæleſti ad nos delapſum, videlicet agnum Dei, patientiæ & humilitatis exemplar ſequi illis harum legum iugũ, leue & ſuaue videbitur. Sub crucis & furcæ iugo, quod trabibus erectis olim fiebat ſuppoſuiſſe militem, & iubere vt ſub eo tranſeat, grauis ignominia mili-

taris olim fuit:ſed in Chriſti militia ſub iugo crucis fuiſſe & vixiſſe, decus & ornamentum militare eſt. Namque ea ratione milites ornantur tunicis ducalibus & imperatoriis ornamentis. Crucem geſtauit, tulit & pertulit Chriſtus Imperator cum ſuos milites ferrẽtarios & crucẽ ferre & perferre quã ipſe tulit, iubet, magnis honoribus illos cumulat in ſuo exercitu, in quo nulli ſunt tribuni vacantes & milites beneficiarij & priuilegiis muniti, ſed omnes ſunt munifices, & oportet illos obire omnia abiecta, & ſeruilia munia, vti ipſe dux obiit opprobria & ſputa paſſus. Et ipſum lignũ crucis vti faſcicularia in caſtris portauit, & baiulauit, formã ſerui & calonis ſuſcipiẽs, humiliãs ſemetipſum ad mortis vſque ignominiam, quo nos illius ſeruos & diſcipulos meliore conditione eſſe fas non eſt. Itaque Chriſtus eos qui ſuo exemplo, qui mitis & humilis corde fuit, non ſunt parati, omnia incommoda ferendo ſuperare, militiæ ſuæ nomen dare vetat. Quinimo cùm delectum ſuorũ habere vult, electionem & electorum examinationem non vetere more per triumuiros, ſed per ſeipſum facit: neque illos iu-

dicio hominum à viribus,ſed ab humanitate & ſimplicitate cordis æſtimat, & ingenuos magis moribus,quàm natalibus in ordines ſuos centuriat, & quò magis doceat regnum ſuum non eſſe de hoc mundo,quos audacia & ferocia præſtantes eſſe videt, & ad necem, vindictam, vltionem paratos, tanquã à patre diabolo primo homicida prognatos, & quibus vti facinoroſis legibus bellicis,militare, & eſſe in ſacro comitatu principis non licet, non recipit, illorum opera vti recuſat:illos ſolùm quos mãſuetudine & ſimplicitate ad naturam ouium, infantium & columbarum proximè accedere videt, vti vaſa electionis retinet, illis legiones ſuas ſupplet; quóſque milites faſtidit mundus,vti abiectos,contemptibiles & infra claſſem, illos in bello ſibi aſſociat, illóſque pũctis ſignorum inſcribit. Tyrones verò ſic electos & obſignatos ne aduenientibus perſecutionibus publicis & generalibus,galea patiẽtiæ in ipſo cõmuni periculo grauis eſſe videatur,ex veteri diſciplina eos extra periculum, & in ipſa pace damna & iniurias priuatas aſſiduè tanquam pileos pannonicos ex pellibus portare aſſueſacit, nec in

otio torpere, & vitæ cõmoda & voluptates guſtare patitur. Sed pro meditatione militari illos etiam in pace per famem, nuditatem & ignominiam deambulatũ educit, & priuſquam in apertum cãpum perſecutionum edücat, illos leuiorum afflictionum exercitiis, more militari, pertentat, & cùm illos ad palum exercet, non aduerſarium punctim cædere, & illius vitalia petere monet: ſed illos ad palum alligatos, plagas & vulnera pati, & non auertere ſcapulas à flagellis faciem à ſputis, maxillas à palmis perdocet. Quos vbi videt aliquantulum ab innata manſuetudine degenerare, & martis ardore efferri, & pleno & iracundo ſanguine feruéſcere, illorum audaciam notat & minuit vetere militari inſtituto, ſolutione venæ, virgis corpora eorum lacerat, ſicque luctantes contra diſciplinam militarẽ in giro Chriſtianæ humilitatis continet. Milites ita edoctos & exercitatos à quibus ſemper fit victoria, non dubitat poſtea per tela, per hoſtes, nudos & inermes haud dubiam in mortem, & per medias acriorum perſecutionum pugnas emittere, certus illos prius ad patientiam edoctos, vti oues quæ ad occiſio-

nem ducuntur mutos fore: ita vt potius omnia viſcera tyrannis & carnificibus, quàm vnum verbum contumelioſum impendant. Per quas perſecutiones non ſufficit militem Chriſti ambulare gradu militari, ſed oportet illũ gradu pleno & alacriore curſum & difficultatẽ illius itineris ſuperare, vti dux noſter Chriſtus fecit, in quo nos radicatos oportet ambulare. Quod vt commodius conficiant & expeditiſſimè, iubet illos ſuccinctos mentis lumbis ſuæ ambulare, illóſque milites qui relictis omnibus impedimentis nudi, inermes ſtrenuè & fortiter nõ vetere more balteo & gladio, ſed renibus fide cinctis in bellũ prodeunt, illos honoris cauſa altè cinctos milites apellat, quorum honos & gloria maxima eſt in compedum vinculorum & catenarum cingulo, & dum loris & flagellis cinctura chriſtianorum militũ per honorifica cinguntur, in illa exultāt & clarificant per patientiam Chriſtũ ducem ſuũ. Et ne ſuis militibus noua & inopinata laborum & afflictionum facies non ante denunciata ſurgat, ſolẽni more oſtentare acien hoſtium & pericula imminentia ſolet, & multos defunctos periculis gra

uiora

biora illos manere prænuntiat, quo magis ſeſe muniant & corroborent fortitudinis ea parte, quæ in cõtemnendis perſecutionibus, & in durando conſiſtit, quam ſolam Chriſtus probat & laudat in ſuis militib⁹, & ea illos diſcinctos prodire intra vel extra caſtra turpe putat. Et qui eam fortitudinis partem præſtant in perſecutionibus, robore Chriſtiano corroborati, & pleni fortitudine in laudationibus dicẽtur, quo illuſtri titulo honeſtatus eſt robuſtiſſimus athleta D. Stephanus, cùm in campo martyrij fortiter dimicans per patientiam occubuiſſet, & per fortitudinem chriſtianam ſuper omnem cruciatum & carnificinam pennis pulcherrimis & integerrimis in Dei cõplexũ volitaſſet. Vidimus primùm noſtra ætate multos, qui ſe mortẽ pro Chriſto obire profitebantur, & in medio buſto expirabant flammas cum placido & æquo vultu, quique fortitudinis alteram partẽ, quę in violenta propulſatione perſecutionum & in expugnando conſiſtit, quam Chriſtus improbauit, & cõtra opinionem philoſophorum pro infirmitate & nõ fortitudine habuit ſequi noluerunt, & maluerunt militare in legitima legione, quàm

in auxiliis : quamuis in legitima legione maior labor ineſſet militãdi, grauiora arma & ſeuerior diſciplina . At nouiſſimo noſtro ſeculo martis ille Chriſtianus calor euanuit,& effetę ſunt terræ, quæ martyres progenuerũt,& omnes crucem, afflictionem, patientiam & ſudorem legitimæ legionis detrectant,& imminentibus perſecutionibus indignantes cum murmure frenunt, ferri ſui ſtrictam acie͂ & paratam neci perſecutoribus offerunt, & à fortitudine chriſtiana, quæ in durando conſiſtit, ad auxilia & ad humanam fortitudinem, quæ in propulſando cõtinetur, deflectũt, & in illis feſtinant militię ſacramenta prę-ripere, ſícque hodie chriſtianarum legionum nomen manet, robur infractum eſt, diſtrictis gladiis perſecutorib⁹, obuiã itur, ſolida vi res agitur,& vti Lycurgus pugillatum & pancratium Spartanorũ ſuſtulit quod in illa palæſtra athletę durius& crudelius exciperentur propter ludi & exercitij rationem: ſic noſtro tempore campũ & pugillatum martyrij vti nimis durum & aſperum, vacuũ & mane conſpicimus, & legitimè Chriſti legiones, quę patientiã in perſecutionibus & martyrium exhibe-

bant, exinanitæ ſunt. Si merces & corona illis tantum parata eſt legibus triumphalibus, qui & legitimè per patientiam & tollerantiam, & in legitima legione ſub crucis vexillo militarunt, quid putas futurũ de illis qui ſpecie & prætextu perſecutionum, quas ſe pati propter Chriſtum dicebant, violẽtiæ. Deæ templum, quod apud Ethnicos ipſos nemini patebat, ingreſſi ſunt, & violentiæ vim intulerunt, & eam ex fano ſuo extractam, per totam Galliam exportarunt & exercuerunt, ita vt nullus ſit omnino locus in Gallia, in quo nõ extẽt illorum violentiæ atque vindictæ barbara & crudeliſſima monumenta, illis meo iudicio quod ſuo & carnis iudicio, & non duce Chriſto, qui ſuos milites per varios caſus & varia diſcrimina afflictionum in cælum tendere vult, militarunt ciuitatis cæleſtis portę nõ patebunt, quibus aſſidẽs Chriſtus, tanquam Portus Deus ſedem quietam oſtentans, pronunciat: Hîc oportet intrare per afflictiones, tribulationes multas, legitima Chriſtianorum certamina. Illi itaque prudentes & ſcientes ſibi cælos occludunt, & ſeſe orcho præcipitant, qui in perſecutionibus contra ex-

preſſum mandatũ Chriſti arma arripiunt. Vſu armorum Chriſtus ſe continuit, ſuos etiam milites cum telo eſſe vetuit, & quia ſciebat terræ filios in perſecutionibus natura ad vim repellendam impelli, neque facilè ſeipſos & naturam ſuam negare & expellere poſſe, eos qui ſibi in ea re temperaſſent, & perſecutores ſuos benefactis & benedictis amplexi fuiſſent, patris qui in cælis eſt fore filios denũciat. Qui enim diligentes ſe tantum diligunt, ab hominibus ſeſe edoctos in arte militari profitentur. At Chriſtiani milites, quorum charitas ad inimicos diffunditur, ſunt vti Calaſires præcipui Ægyptiorum milites, qui non à doctoribus, ſed à patribus militiæ preceptis imbuebantur: non enim ab hominibus, ſed à patre cæleſti tolerantiam in perſecutionibus præſtare, & inimicos cõplecti: quæ voces nihil mortale ſonant, didicimus, & qui reipſa in perſecutionibus id præſtant, verè ſunt milites primæ cohortis imaginiferi dicti: quia imaginem patris cæleſtis ſummi imperatoris ferunt & referunt. Per patientiam enim in perſecutionibus maximè elucet in nobis imago patris cæleſtis. Et quo magis Chriſtus

ſuos milites cōtineret in diſciplina illā militari à patre tradita, ſpem pręmij & metū pœnæ, quibus duobus continetur totum ius militare proponit, ſi iniurias & vindictam iure humano vobis debitam remiſeritis, remittet vobis delicta veſtra pater: ſi autem non remiſeritis, & nobilem vindictam, quæ in remittendo conſiſtit, exercere nolueritis, non remittet vobis delicta veſtra pater, neque delebuntur veſtra chirographa, neque cruci affigentur. In hac noſtra humana & fluctuanti nauigatione, nos lumen euangelij tāquam prætorianæ nauis ſequi debemus. Qui autem luci euangelij vocem tenebrarum, quæ vindictam oſtentat, proferunt, & in perſecutionibus ſanguinem aduerſariorum effundere quàm perſecutionem ſufferre malunt, apertè produnt, eo quòd voluntatem & verba patris cœleſtis non audiunt ſe ex diabolo eſſe, eóq; quia ex pręſcripto patris non militarunt impēdiis cæleſtibus expūgentur, inter ęratos milites, & filios contumaces, qui cæca hominum veſtigia conſilio ſuo antepoſuerunt, collocabuntur, & ex matricula Chriſtianorum militum in album draconariorum militum referen-

tur. Itaque caueant ſibi qui rapinas, latrocinia, crudelitates, diritates, omnia denique opera, conſilia & mandata Draconis antiqui illius hoſtis, agno Dei & ſuis ſequacibus, cum quibus aſſiduè bella gerit, infenſiſſimi fecerunt, patrarunt in præcedentibus bellis Gallicis. Qui tamen cùm fuerunt milites Draconarij & Satanarij, & illorum vita & actiones ſatis prodant cuius legionis ſint, & ſub quo duce militauerunt: audent tamen ſingulari tum audacia, tum impietate dicere ſe ſub Chriſto & pro Chriſto militaſſe, & Chriſtum tanquam alterum Belum, qui primus gladiũ ferreum produxit, armorum & gladiorum ſuorum authorem appellant: & illi Deo pacis gentem rapacem, & ſtudiis belli aſperrimam tribuunt. In parte exteriore ſuorum ſcutorum ſigna & digmata Chriſtianorum pro ſe ferunt, ſed introſpicientibus interiorem partem ſcilti, in quo more militari militis nomen, ex qua cohorte & cẽturia eſſet, inſcribi ſolebat, ſatis liquet quicquid intus & in cordis receſſu eſt, plenum eſſe malitia, crudelitate atque rapina. Relinquamus itaque, Lomani, quam primùm quàm cito milites illos qui Draconẽ

& Aſpidem ſatanicæ phalangis vexilla ſequuntur,quos manet formidabilis quædã expectatio iudicij & ignis vehementia: & iungamus nos Chriſto,qui cùm inſtruit aciem ſuam, & rei bellicæ functiones demandat nobis, in perſecutionibus patientiam attribuit nobis, ea opus eſſe conceptis verbis edicit:ſibi vindictam quam nõ à nobis, ſed à ſe rependi vult, reſeruauit. Et ſi legibus militaribus capitale fuit in loco imperatori deſignato tentorium militi poſuiſſe,quanto magis puniendi erunt qui diſtributione munerum ab imperatore facta non contenti, functionem quam ſibi nominatim imperator Chriſtus retinuit, videlicet vindictam, ipſi obire & exequi volunt. Qua in re arrogantiſſimè faciunt, & planè filium Dei conculcant, & contumelia afficiunt, illius prudentiam & gubernandi peritiam in dubium reuocantes. Et quamuis vindicta illis interdum feliciter ſuccedat,& de perſecutoribus quos appellant,aliquas reportent victoriolas oſculanas, eodem penè momento partas & amiſſas: tamen non licebit illis more militari pro victoria inferre Laurum in Chriſti ſinum. Nam tam apertam audaciam non

probat Chriſtus, qui filios etiã ſuos, quòd non illius imperio, ſed ſua voluntate militarint, ſecuri ad radicem vſque poſita percuti & vti ſeueriſſimus diſciplinæ militaris exactor. Neque illi excuſabuntur, qui arietes & duces ouium miniſtros vindictam & arma ſuis conſiliis miniſtrantes, & martẽ concionibus ſuis accendentes, ſe ſecutos eſſe prætexant. Nã miniſtris poſitis à Chriſto vti flaminibus dialibus procinctam claſſem videre martem vlla ratione tractare nefas eſt, & illi vti perfecti qui formam præbere debebant bonis operibus, quòd ex conſilio Chriſti ad ſatanæ conſilia transfugerint, maiore pœna quàm milites gregarij plectentur, & ex legibus militaribus turpi & ſeruili mortis genere afficientur. Chriſtus enim cuius ſe miniſtros dicunt gladios temerè eductos in perſecutionibus vagina recondi cum acri comminatione iubet. Nouit enim ille fidelis & prudens armorum cuſtos, arma militibus ſuis committere ſuo tempore. Et ideo ſumma cum diligentia in perſecutionibus armiluſtrium ſuum occluſum tenet, educi arma vetat, & habita quàm primùm cẽſione haſtaria ſuos inermat, & haſtas con-

tra

tra prçceptum ſuum ſuſceptas, maximé amẽtatas illas quç fortius & enixius in hoſtem vibrantur ponere iubet: quia dominus cuius eſt bellum & qui eccleſias ſuas tegere vti aliis per milites ſuos alares & celeres angelos poteſt, non ſaluat eccleſias ſuas, ſua pergama, in gladio neque in haſta. Et ideo milites Chriſti vti atriarij robuſtiſsimi Romanarum legionum milites ſtare debent genu dextro innixi, & nutum conſulis ſui Chriſti ad conſurgẽdum expectare, qui nunquam vtitur verbo illo militari, Conſurgite, quo impugnandi & hoſtis impetendi facultas datur ſimpliciter: ſed cùm conſurgere iubet, continuo adit, Sequimini me. Sequi autem Chriſtũ nihil aliud eſt, quàm ſuo exemplo tollere crucem ſuam, & in perſecutionibus & afflictionibus poſsidere animas ſuas in patientia, & cum ſolenni more magnis in periculis euocat ſuos milites, & dicit: Qui vult ſaluam rempublicam, ſequatur me, verbo illo etiam abnegationem ſuiipſius militibus indicit, crucẽ tolli imperat, neque vult milites ſuos militare ſecundum carnem & hominem, & ſuperare gladio ferramento acuto & mucronato, ſed ar-

matura ſpirituali, nuda & ſola patientia, Quam armaturam ſi aliqua rubigine vindictę vel lãguoris maculatã & minus terſam comperiat, ſuos milites impolitia & frequentia ex legibus militaribus caſtigabit, vt & illis preces facere aſsiduas, & ſacra rubigalia, quæ rubiginem ab armis ſpiritualibus auertunt, frequentare iubebit: quia ex diſciplina militari bellicoſus non putatur, cuius arma ſitu atque rubigine fœdantur. Eò etiam Chriſtus tãquam Centurio ad ſuam ſolicitudinem pertinere putat, vt turmales ſui arma ſpiritualia frequenter tergant, & curent meditationibus aſsiduis perſecutionũ in ipſa tranquillitate, vt parata & terſa arma habeant vbi vſus fuerit in die malo. Et quia vt veteres dixerunt, arma ſunt membra militis, cauit etiam Chriſtus ne illis abutantur, & illa in perſecutionibus exhibeãt peccato, neci violentiæ, ſed vt illa exhibeant Deo in patientia & tolerantia. Et cùm nobis ſit depugnandum in perſecutionibus, nõ gladio ferreo, ſed foris Chriſtus qui optimè nouit huius gladij aciem & cuſpidem exaſperare ex arte Samia illius aciẽ acuet, & erudiet linguas noſtras,

& cùm opus erit in tempore perſecutionum dabit quod loquamur. Omnem aliã armaturam tenebrarum & humanam in perſecutionibus abiicere iubet, & imperat nos indui armatura lucis, cuius ſplendor plurimũ confert ad terrorem hoſtibus iniiciendum. Et vti vetere more militari, miles vtroque latere armatus ſiquà prodibat dextra breuiorem, ſiniſtra longiorem ferens: ſic chriſtianum militem armis iuſtitię dexſtris atque ſiniſtris inſtructum eſſet oportet. Et quia cui imperator attribuit leuem armaturam, non licet vti graui, nec é contra, quin abutatur armis & diſciplina militari: eo etiam nobis quibus arma ſpiritualia in perſecutionibus tantum attributa ſunt, longiores gladios, vt haſtas duplicatas arripere non licet. Et ideo cùm hoſtes illi prodiiſſent cum gladiis & fuſtibus, D. Petrus adhuc tyro & nouellus in diſciplina Chriſti, ignorãs in agmine Chriſti omnes haſtas putas eſſe, & ſine ferro militari, vt homo voluit vim hoſtium repellere. Qui ſi oculis vti tyronem ex diſciplina militari decebat, ſuum fidei ducem & conſeruatorem Ieſum conſpexiſſet, & illius vexillum oculis ſuis, quæ pri-

ma tyronis cautio eſt in re militari, nunquam amiſiſſet, non ita temerè in Chriſti leges militares peccaſſet. Quarum qui veram cognitionem tenent, iuxta ſinum ſui ducis more militari crucem & afflictionem ſemper militant, & ad exemplum ſui ducis ſeſe comparant: cum quo maxima conformitas eſt communio afflictionum, maxima diſiunctio perſecutionum ſanguinaria & violenta propulſatio. Et quia ardens virtus tolerandi euehit militem Chriſtianum ad æthera, rem magnificam & laude dignã faciunt in oculis ſui ducis, cum in grauiorum perſecutionum pugna ſpiritum quietum, pacificum & placidum gerunt. Illo finito prælio per præconem continuo euocantur, & iudicio imperatoris cum ampla laudatione ab vltima ſchola, & ab inferioribus ordinibus, ad primum pilum transferuntur. Et quia in perſecutionibus ad inſtar infantium & paruulorum ſeſe demiſerunt, illos præſente exercitu non vulgariter ſed extra ſortem donis & honore afficit, & quàm maximos fore in regno cælorum pronunciat. Vecordes planè erunt milites Chriſti, ſi ſpe tanti regni nõ moueantur ad præſtandam duci

ſuo fidem, cui ſe addixerunt, & cui ſe in perſecutionibus vouerũt, cùm videat gladiatores cùm authorantur & nomina dãt locatori, & animas & corpora illi religioſè addicunt cautionem illam, vt vri, vinciri, verberari, ferróque necari poſſint tam exactè præſtare, vt nullum genus mortis ſpe modicæ mercedis recuſent, maximè cùm Chriſtus qui noſtras operas locauit, nulla certamina, nullas operas niſi leuiſſimas imponat, & præſcribat, ſi graue illud pondus tribulationum & crucis durum certamen, quod ipſe tulit, attendamus, qui tanquam tribunus lati claui, vt nobis pararet regnũ cælorum magnis & latis clauibus (quo etiam ſigno agnitus eſt à ſuis) cruci affixus, certiſſimum nobis patientiæ documentũ præbuit. Quam ſi nos claſſicarij milites non præſtamus, ſaltem cum leuiſſimis iniuriarum aculeis pungimur, tribuno quem ſaltem à longè ſequi recuſamus, facimus contumeliam, & deſertionis crimine nos illigamus. Turpe eſt enim militi Chriſtiano nimio vitę ſtudio ſibi magis quàm duci ſuo pro ſe mortuo viuere belle, maximè cùm veterem illam vocem, qua etiam animabantur & incendebantur in bel-

lum ethnici milites, conſurgite memores cónſulis, pro veſtra ſalute occumbatis, audiant itaque vetus illa formula ſacraméti militaris ſeſe mortem pro republica & imperatore non recuſaturos, nos etiam Chriſtianos illigatos tenet: Ita enim illi obſtricti ſumus cum initiamur, vt & in illum credamus, & pro illo patiamur, idé certamen habentes quod ille habuit. Et hoc certamen apoſtoli milites prætoriani, qui ad látus Chriſti vixerant, pro Chriſto decertarunt; & vetere militari more per vices pugnarunt, & incœptũ à duce opus afflictonum in carne ſua ſuppleüerunt, & hoc certamen proſecuti ſunt ſecundum efficaciam Chriſti, agétem in illis per virtutem manſuetudinis & patientiæ. A quibus certaminibus & præliis non illatis, ſed acceptis plagis inſignes euaſerunt. Quia in exercitu Chriſti nulli ſunt dies præliares, quibus panicum canere, hoſté laceſſere, & illum impetum facere liceat: ſed omnes ſunt feriati, quibus hoſtes & perſecutores illigatos ſoluere & liberare queamus & debeamus, quos pallantes & vagátes in mundo colligere in gyrum eccleſiæ; & in aream caſtrorum ad excipiendos ex-

ſtraordinarios deſtinatam introducere debemus. Itaque non poſſum non deteſtari,& capiſtro magis quàm cingulo contra leges Macedonum dignos putare eos qui hoſtes victos & captos non ſeruarunt, ſed occiderũt, & ex cadaueribus eorum aceruum fecerũt. Qua in re qui ſe Chriſti milites & pro Chriſto militare profitebantur, omnia humanitatis iura recepta violarunt. Sed illis omnes dies fuerunt non ſolum præliares, verum etiam ſanguinarij, quibus veteres Galli fanatici ſeſe cruẽtabant per furorem alienata mente. Ex quibus rebus conſtat eos militaſſe ſine probatoria Chriſti contra leges militares. Chriſtus enim mittendarios ſuos milites, & quibus ſuas dat teſtimoniales cum hoc elogio mittit, vt oues inter lupos emitto vos, vt miſit me pater, ita mitto vos: & ſi ouium manſuetudinem in perſecutionibus imitati fueritis, cùm venerit filius in gloria,conſtituet vos à dextris: & illos qui lupos ipſos dilacerarunt, & luporum rapacitatem vbique exercuerunt, collocabit in ſiniſtro cornu:qui locus apud ethnicos boni, apud Chriſtianos mali ominis eſt. Qua de cauſa Chriſtus in exercitu

ſuo tempore perſecutionum totam illam legionem repulſoriam & defenſiuam ab antiquis dictam expungit,cùm ita illos alloquitur, Nō voſmetipſos defendite,quin potius patiamini iniurias & plagas quàm arma arripiatis. Et ille qui in rupe Tarpeia omnia telorum genera recondita habet, ex ea magiſtratui ſolum gladium & gladij vſum attribuit, priuatis cum telo eſſe, & militare ſine authoritate magiſtratus cōtra maieſtatem,capitaléque eſſe putat. Et quemadmodum legibus hominum nemo dicitur eſſe cum imperio, niſi cui populus nominatim dedit imperium in ſua republica:ſic Magiſtratum eum ſub quo militare & gladiis vti Chriſtiano licet, intelligimus eum qui à Deo datus eſt, & ab eo, vt ita loquar, habet ſacram epiſtolam, ſine qua nemo tribunatum maiorem in caſtris exercere poteſt. Sic etiam Romani Syllam, quod ſeipſum dictatorem dixiſſet,pro legitimo dictatore nunquam habuerunt. Abſit itaque à fide Chriſtianorum & Gallorum, vt amplius ab illis qui regis nobis à Deo dati authoritatem vſurparūt,gladios & arma cōtra ordinē ipſum naturæ accipiamus, & illos pro legitimis

magi-

magiſtratibus habeamus. In Ethruſca diſciplina piaculum fuit fulmina alij numini tribuere quàm illi cui Iupiter illa attribuiſſet. Itaque ne te amplius ſimili impietate & rebellione implices, & regiam authoritatem in alios tranferas errore ductus in poſterum caue, & ſi Chriſtianus & Gallus eſſe vis ſum tibi author, vt quàm primùm ab illis ductoribus te diſtrahas, & arma illorum imperiis initiata proiicias vti nefaria: quia gladium tractare, vti iam ſemel dictum eſt, in perſecutionibus ſine authoritate magiſtratus, priuato interdictum eſt. Et Chriſtus clypeum (qui primum locum in vetere armatura tenebat) tantum priuatis concedit: illis enim verbis: Cauete vobis ab hominibus, & prudentiam ſerpentum imitamini, vſum & artem rotundi ſcuti, & ab hoſtibus ſe protegēdi cōcedit, hoſtis impetendi facultatē omnino negat. Et quamuis veteres ſub hac diſciplina cōtinuerunt ſuos tyrones primis ſtipendiis, vt illis clypeū tantum gerere liceret: tamē in militia Chriſti in omnibus ſtipendiis, & in quauis promotione militiæ nunquam priuato niſi clypeum quo ſe tegat, geſtare licet. Eoque Chriſtiani qui in primis ſtipē-

diis ſe continuerunt, à cęde & laceſſendo hoſte poſtea ſi ab ſcutatorũ ſchola ad haſtatorum ſcholam ſe trãsferant, Chriſtum qui illos primę ſcholę perpetuo addixerat, offendunt. Neque militi Chriſtiano ſpes eſt vlla vacationis ſacroſanctè poſt emerita etiam ſtipendia legitimo tempore legibus humanis perſcripto, niſi ad finem vſque durauerit. Illis ſolùm qui omni vitæ tempore ſub vexillis Chriſti ſeſe cõtinuerunt, expectãtes cum patientia legitimam mercedem, militis videlicet, centenarum agri cæleſtis portionem præter mercedẽ donatiua & congiaria, omnis generis & ſupra modum diſtributa maximus honor, quem raro filiis ſuis in exercitu communicabant imperatores, vt contubernio & menſa ſua exciperentur, habebitur: Dicente domino: Quia mecum vſque ad finem permanſiſtis in perſecutionibus, cõſortes eritis gloriæ, & edetis & bibetis ſuper menſam meam in regno meo. Et vt in tam longa & dura militia, quæ nullam vacationem habet, & ſemper eſt in agmine atque expeditione facilius durare poſſimus, multum confert vſus clypei nobis à Deo datus. Nam clypeo fidei non ſolum

caput noſtrũ operire aduerſus tela & ictus hoſtium teſtitudine facta poterimus: verũ etiam vbi feſſi & defatigati erimus. Si vetere more non procumbere, quod turpe fuit, ſed armis ſtantes inniti voluerimus, ſcuto fidei tutiſsimè incumbere poterimus. Qui hoc clypeo non contenti, extra ordines religionis Chriſtianæ impatientia victi, gladiis arreptis ad crudelitatem & vindictam erumpunt, ſatis demonſtrant ſe non militare in ſchola Chriſti, neque ſua nomina ex vetere diſciplina aſcripta fuiſſe literis in centuriæ Chriſti vexillo & in libro vitæ agni. Itaque ſi de armis arripiẽdis in perſecutionibus, Lomani, omnia ſacræ ſcripturæ oracula & auſpicia euoluamus (vt iterum atque iterũ dicam quod tibi conor perſuadere) omnia reperiemus eſſe vt veteres loquebantur, armorum clima, id eſt prohibitoria, quam prohibitionem capitali adiecta pœna in eos qui contra feciſſent apertè ſanciuit Dominus, cũ dicit eum qui in perſecutionibus gladium acceperit, gladio periturum. Qua comminatione ſignificat contumacem in ea re militem ex legibus militaribus non ſolum a tribuno ſuo, verùm etiam à principali

coërcendum eſſe in hoc mundo ab homi nibus, tanquam Dei miniſtris in captiui- tatem ducentur & gladio necabũtur: quia perſecutores ſuos contra Dei prohibitionẽ in captiuitatem duxerunt, & in illos merum imperium & gladij poteſtatem, quam Deus ſibi nominatim retinuit, exercuerũt; & poſteą ipſe Deus tanquam principalis niſi reſipiſcant & ignominiam ex contumacia comparatam eluant, poſt primam mortẽ ab hominibus illatam, ſecũda morte illos multabit, à qua nunquã lædentur illius teſtimonio qui in perſecutionib⁹ per toleranciã & patientiã victores extiterũt. Qua in re cauit omni cautione Chriſtus iuxta officiũ boni imperatoris qui oculus totius exercitus eſſe debet, & ex diſciplina militari comitem ſemper Achatem, id eſt curam habere debet, ne milites ſibi commiſsi & traditi pereãt; & ne per mortem ſecundam, quæ magna eſt capitis diminutio, corporis & animæ iacturã patiantur. Ideoque in media ſuorum acie (qui eſt cohortantis imperatoris locus) conſtitutus, ſolennem illa cohortationem, tanquam cotẽ virtutis militaris auribus ſuorum militum paſsim inculcat, affligẽt vos,

occidét vos, ſed bono animo eſtote, ſi durraueritis vſque in finem in throno patris cæleſtis mecum ſedebitis, & conſcendens cælos, & rurſus cum conſcendiſſet eãdem cohortationem iterauit, quò magis milites ſuos ad cæleſtis triumphi gloriam cõparandam incenderet. Et quia per naufragia & calamitates ſuos in ſceptra cæleſtia reponit illas ſolum legiones & eccleſias quæ comprobare poterunt certiſsimis teſtimoniis more militari apud quæſtorem ſua facinora, & ſe participes fuiſſe afflictionum Chriſti vti probatæ & victrices, plenæ gloriæ & fortunarum cum illo triumphabunt. Quieſt omnium honorum maximus cumulus; & ex vetere fœdere eodem tabernaculo, eodē curru habitabunt & ſedebunt milites cum imperatore, & homines cum Deo. Et in die triumphi ſingulas legiones & eccleſias per tribunos & angelos ſuos ita alloquētur, ſcio opera tua, laborem tuum, patientiam tuam, & quod ſuſtinueris propter nomen meum, & non defeceris, & habita illā laudatione, continuo omnes milites, quia ſecundum voluntatem patris cæleſtis militarunt, vti certiſſimam Dei prolem, filios, fratres, cognatos

appellans, quibus ex legibus triumphalibus tantùm datur currum triumphãtis ingredi, illos amplectetur & curru ſuo excipiet. Eas vero eccleſias & legiones, quæ non patientia nittuntur, ſed armis quibus religionem in Galliam intulerunt, & quæ in vexillis centuriarum ſuarum inſcriptionem cuiuſdam regis in Ægypto: Hãc religionem ego meis armis atque humeris peperi, vſurparunt: quia capiti ſuo Chriſto per compagines & commiſſuras perſecutionum & afflictionum compactæ non fuerũt, ab eo vti membra ſua in die triumphi agni non agnoſcentur. Quia vrbem triumphalem per portas ingrediuntur illi ſolum, qui ſecũdum veſtigia apoſtolorum per patientiam militarunt, & qui ſtollas ſuas in ſanguine agni lauarunt, ab vrbe & omni territorio triumphali quàm longiſſimè vti canes remouebuntur homicidę, latrones, & qui in perſecutionibus victoriam cruentam de hoſtibus reportarunt, & more militari illi abrogato triumpho alios expectare triumphantes iubebuntur: namque legibus Chriſti triũphalibus militibus tantum laureatis, id eſt, innoxiis & expurgatis ab omni cæde humana impe-

ratorem triumphantem ſequi ius eſt, militibus indutis non veſte nuptiali,ſed militari & ſagis & armis ſanguine aduerſariorum cruetatis impium eſt ſeſe offerre triũpho & nuptiis agni. Cuius pompa triumphalis ita depingitur: Agnus triumphat in cælis veſtitus veſte tincta ſanguine. Item illi qui ſecuti ſunt agnum,& illius tolerantiam, & venerũt ex afflictione magna ſtãtes ante thronum amicti ſtollis dealbatis in ſanguine agni plurima in hoc triumpho ſanguinis & mortis imago, ſanguine & cruore non hoſtium ſed triumphãtium omnia madent. Et quia cum hoſtibus leuiter & ſine cruore ſeſe geſſerunt, non ex iudicio legum humanarum minore honore videlicet corona myrtea donati ſunt, ſed ex diuino iudicio quam maximo honore corona laurea cæleſti & immarceſſibili digni habiti ſunt. Et quia etiam plagis acceptis & non illatis è pugna ſuperiores diſceſſerunt: ſi triumphum petant apud Senatum, in templo Bellonæ, vbi triumphum peti mos fuit, indigni triumpho habebuntur. Sed ſi triumphum petant in ſenatu habito in ſanctæ ciuitatis templo, quod eſt Deus & agnus, digniſſi-

mi triũpho omniũ ſuffragiis iudicabũtur. Et queadmodũ maxima hoſtia ouilis pecoris appellabatur olim nõ ab amplitudine corporis, ſed ab animo placidiore & eã immolare, & ea ſacrificare in capitolio licebat ei tantũ qui res memorabiles & digniſsimas triumpho geſſiſſet. Sic ſolis militibus Chriſti, qui in perſecutionibus pecoris ouilis manſuetudinem imitati fuerunt immolatio iſtã magnæ hoſtiæ conuenit iure triũphi, qui etiã in triumpho agni, qui pro eis immolatus eſt, titulos grandioribus litteris more triumphali ita inſcriptos pre ſe ferunt; cum ſuper hoſtia & ſacrificio fidei à perſecutoribus immolaremur, congaudebamus quod certi eſſemus animas noſtras apud te ſequeſtratas tutiſsimo loco eſſe, quod potens eſſes ſeruare depoſitum in hũc triumphalem diem. Ita olim vetere more militari in prælium prodituri quæ præcioſa & chariſsima habebant, ad ſigna tutiore caſtrorum loco in follibus in eum vſum comparatis deponebant & ea finito prælio repetebant, atqui milites qui ad ſigna Chriſti in perſecutionib⁹ animas ſuas deponere noluerunt, & Chriſto ſeſe

crede-

credere & committere recuſarunt, & omnem ſuam ſpem & fiduciam collocatam & depoſitam in armis & copiis tum vernaculis tum auxiliaribus habuerunt, non video quo ore illius triumpho cælesti ſe offerre queat. Solis enim militibus Chriſtus ad portam vſque prodibit, qui in die triumphi repoſcere ab eo depoſitũ & patientiæ mercedem poterunt, & qui ſimulacra & imagines rerum à ſe geſtarum & tabulas ante ſe ita deſcriptas oſtentabunt. Domine in te noſtrã omnem ſpem locatã habuimus, pro te paſſi ſumus exilium, penuriam, afflictionem, virgas, fuſtes, flagella, carcerem, catenas, compedes, cum beſtiis pugnauimus, incertis ſedibus vagabamur, nullum relaxamentum habuimus, malè audiuimus, ridicula ſpectacula facti ſumus, neci & morti traditi fuimus. Et quia lege tribunitia pœna conſtituta eſt in eos qui petentes triumphum in enumerandis rebus à ſe geſtis mentiebatur, quos etiam oportebat eadem lege priuſquam triumpharent, de veritate ſcripta iurare. Caueant illi qui ea quæ ſupra deſcripta in tabulis triũphalibus retulit, non paſſi ſunt, ſed hoſtibus intulerunt, & in omni crude-

litatum & rapinarum genere ſuperiores extiterunt, ne in hac re mentiantur, quia illos manet pœna tribunitia, videlicet gladius inundans, qui illis imminet qui mendaciis ſe prætexunt. Sed ſi volunt more Græcorum Peplum ſuum triumphale, in quo depinguntur res geſtę, adornare, conſulo illis ne exprimant in eo inter cæteras ſuas crudelitates, ſeſe homines præcipitaſſe ex alto, & in viuis corporibus pudendorum membrorum laniena exercuiſſe: quia illa ſpectacula vti barbara & immania legibus ethnicorũ, iamdiu ſublata ſunt. Sed ſi me non audiunt, & in ſua barbarie & crudelitate laudem & gloriam quærunt, & peplum ita exornatum more antiquorum templis Chriſti, pro quo ſe militaſſe gloriantur, affigunt, habebit poſteritas quod miretur horum impudẽtiã in Chriſto deridendo & Chriſti patientiam, qui noſtro ſeculo tam impia & barbara hominum portenta nomine ſuo abutentia, per tot annos aluerit & ſuſtinuerit. Deſeramus itaque Lomani, eam militiam quam ſequentes (vti ſupra demõſtratũ eſt) nulla ſpes triũphi & tabernaculi cæleſtis nobis reliqua eſſe poteſt, Nãq; illis redeũtibus ę

pugnā perſecutionū, poſt expugnatos, fuſos & ſpoliatos hoſtes, quamuis opima de illis ſpolia reportent, non erit receptus in capitolio cæleſti Chriſti, à quo & à ſuo conſpectu, quæ grauis eſt animaduerſio militaris, eos prohibebit, & quàm longiſſimè abire vti operarios iniquitatis iubebit. Nāque tribunal auguſtale & cæleſte noſtri imperatoris Chriſti militibus ſanguine hoſtiū imbutis, & rapinis & prædis onuſtis, nō patet: quia ex legibus militaribus antiquis honor nō eſt ſpoliis onuſtum eſſe, ſi nō honori, ſed dedecori onus ſit, & Chriſtus eos ſolum iubet ad ſe venire, qui plagis & incommodis acceptis laborāt, & mole miſeriarū onerati ſunt, vt illos refocillet & foueat, eóq; illis vti ſibi chariſſimis tentoria non manufacta prope ſua tentoria non longius pedes quinquaginta ex vetere caſtrametandi ratione poni iubebit: at latronibus & rapacibus nulla ſunt tentoria & tabernacula in exercitu Chriſti, cum quibus commiſceri & cibum capere propter contagionem diſciplina militaris Chriſti vetat extra vallum ſine tentoriis & papilionibus eſſe iubentur, & in tenebras exteriores relegantur. Et cum iu-

bet Chriſtus milites ſuos alieno ſe conti-nere, & prædas & rapinas bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcipere, ſatis indicat quàm illi diſpliceat ſua templa vetere more ſpoliis & prędis malè comparatis decorari: quia templa chriſtianorum non ſunt ſpeluncę latronum & latrociniorum & rapinarum receptacula: & ideo qui pecuniã ex rapinis, furtis & prædis comparatam peculio caſtrenſi Chriſti attribuunt, & illum in prędę partem vocant in cuius confinum illam ſe cõgerere dicunt, ſuum ſcelus & latrocinium Chriſti nomine tegentes, non ſecus faciunt quàm fures Lauerniones, qui ſub tutela Deę Lauernę ſe eſſe profitebantur, in cuius luco obſcuro furta prædámque inter ſe diuidebant. Et quamuis in hiſtoria Chriſti legamus virum fortem cuſtodientem atrium domus ſuæ, à fortiori viro ſuperueniente victum, ſpoliatum fuiſſe, non ex eo ſpoliandi & deprædandi facultatem arripere licet. Nam illud exemplum eſt eius qui militauit vt homo, non vt Chriſtianus. At in militari Chriſti diſciplina iubemur ambulare, vt homines, vetamur militare vt homines. Fortis ille, de quo fit mentio in euangelio, fuit ex ve-

tere illa Romanorũ legione, quæ fortenſis dicta eſt, nõ ex illa legione quę pia & fidelis appellata eſt, ex qua ſi fuiſſet, infirmiorẽ & debiliorẽ ſe nõ ſpoliaſſet, & ſibi temperaſſet ſecundum piam & fidelem Chriſtiani militis deuotionem & moderationem. Atqui noſtro ſeculo vidimus eos qui ſe ex legione illa pia & fideli eſſe, & ſeſe ſecundum exactiſſimam Chriſti religionem viuere profitebantur, & candorem & ſimplicitatem animi ex tunicis albis militaribus præ ſe ferebant, omnia genera latrociniorum & crudelitatum exercuiſſe, & legionis illius cui nomen rapacis Vitellius dederat, exactiſſimè obiiſſe. Et ita Galliam vaſtarunt & diripuerunt, vt barbarorum quæuis facta mitiora videantur. Quibus rebus pertertita & proſtrata Gallia, oraculũ illud vetus Phœnicibus redditũ, malè cum illis actum iri cùm corui albi facti fuerint, ad ſe pertinere ſuſpicata eſt: quia nullam calamitatem non vidit, non experta eſt ex quo corui albi facti ſunt, & filij tenebrarum habitu candido (in quo ante aquilam profecti caſtrorum tribuni & cẽturiones ex vetere diſciplina ſtare ſolebãt)

in filios lucis transfigurati, per Gallias volitare & prætextu ſacrati & ſolemnis belli pro euãgelio latrocinia exercere viſi ſunt. Quorum rapinas, prædas & exuuias vti deteſtabiles Chriſtus non ſolum templis ſuis recipi abnuit, verùm etiam veterem illum Romanorum morem, qui ædium ſuarum limina affixis hoſtium ſpoliis exornabant, quę mutato domino nec emptori refringere licebat, improbat, & eos nominatim dãnat, qui domos ſuas replent & exornant prædis & rapinis, & illis comminatur ſe ingreſſurum in ira ſuper illorum limina. Cùm enim mandata & leges ſuas militares, quibus ſcriptum eſt vę prædatori, inſcribi in liminibus ædium militibus ſuis imperet, quomodo patietur rapinis & rebus contra mandatum ſuum quæſitis limina ſuorum militum dedecorari? Verbum enim illud vetus, incumbere: id eſt, per vim aliena retinere, cùm reipſa ſublatum eſt ſeueriſſima cẽſura Chriſti, apud quem vnius argentei numi furtum vel rapina capitalis eſt, qui etiam non ſolum rapaces, & qui rapta retinent, verùm etiam eos qui rapinas concupiſcunt & meditantur ademptione bonorum no-

tat, & illos prędę (iuxta leges imperatorias quæ deprædatores opprimi à prouincialibus permittunt) quam concupierunt, exponit, Et quamuis in bellis ciuilibus moris fuerit exponere prædam in campo Martio, vt quiſque ſuum per triduum cognitum abduceret, tamen illi milites qui ſe ſub Chriſto militare dicebāt, in nouiſſimis noſtris bellis pluſquam ciuilibus, hāc honeſtatem ethnicorum imitari noluerunt, Ex quo liquet illos non Chriſti, ſed Caci latronis famoſiſſimi ſequaces fuiſſe: cuius rapinæ à poeta appellantur abiuratæ: id eſt, contra ius retentæ. Sed illi non ſolum Galliam vaſtarunt & deprędati ſunt, ſed ad eam diripiēdam exteras legiones euocarunt: qui licet vim legum humanarum quæ illos qui depredandi facultatē hoſtibus dederunt, viuos comburi iubent, effugiant, iudicium tamen Dei in igne vorante, & in flamma exurente, qua rapaces & impij vti ſtipulæ conſummentur nunquam effugient; legiones quoque illę exteræ cum ſuis ducibus quæ in Galliam venerunt vt gererent bella, & vt Varro loquitur, vt omnia bella: id eſt, bona domum ſuam deferant, & qui contra legem

Lauretum, qua ſancitum erat ne pomum in alieno legatur in harmum: id eſt quod humeri onus ſit, non ſolum humeros, verùm & iumenta & currus omni genere prædæ non contenti, ſtipendiis ſuis onerarunt, caſtigabunt, & non vti legitimi viribus, ſed vt exteri ex diſciplina militari fuſtibus ſubiicientur, cum elogio Chriſtiano ab Ethnicis imperatoribus in ſimilibus caſtigationibus vſurpato. Velletis ne iſta in agro veſtro fieri, velletis ne per vim religionem vobis obtrudi & veſtras fortunas deprędari. Caueamus itaque in poſterum, Lomani, ab illis caſtris, vbi homicidia, neces, latrocinia & rapinæ vigent, & in quibus etiam dolus & fraus habet locum, & in quibus licet etiam cum laude defectu pellis leoninæ & virium nectere fraudes & pellem vulpinam. Et ſi turpe fuit olim illos per fraudem & inſidias aliquid admiſiſſe, qui ex poſteris Herculis eſſe dicebantur. Quantò turpius erit eos qui ſe prognatos aſſerunt ab ipſo Hercule Chriſtiano, in cuius ore nunquam fuit dolus & fraus in fraude aſſidua verſari? qui etiam Dolones, quòd ſpeciem præ ſe ferant ligni pugionem latentem habeant, quo

quo fallantur homines in armatura ſua eſſe noluit. Et Dolonem illũ quo magnus & inuictiſsimus ille regij exercitus dux ad Aureliam interiit, poſteritas Chriſtianorum perpetuo deteſtabitur, & agnoſcet verum & non fabuloſum eſſe quod protulit antiquitas tantam Heroibus virtutem ineſſe, vt nõ poſsint niſi inſidijs vinci. Dolones itaq; , dolũ & viros doloſos abominatur Chriſtus, & maledictos eſſe pronunciat, contra in laudationibus militaribus quas habet frequente prætorio beatos eſſe dicit ſimplices & mundo corde, vt ex eo indicet Chriſtianorũ aciem ſemper ſimplicem, extenſam & apertam eſſe debere: acies verò inflexas, implexas, incuruas, obliquas, quæ reſolutione pleſij vel ſui explicatione vel circumuentione fraudem moliuntur, & laqueum parant aduerſario, improbat & dãnat Chriſtus. Ideoque inter cæteras horum hominum fraudes, ab ea tibi maximè cauendum eſt, Lomani, quæ homines ſpecie religionis ad bellum Regi ſuo inferendum pertrahit. Et vti Bacchæ (vt refert antiquitas) haſtas frondibus obductas ferebant, vt in ſpecie tyrſus appareret, intus lateret lan-

cea & cuſpis, illíſque lanceis interdum atrociter ſpecie religionis homines ſauciabant. Ita iſti ſuis armis nefariis frondibus religionis Chriſtianæ, pro qua ſe pugnare dicunt, obumbratis & tectis multorum corpora & animas ſuperioribus bellis perdiderunt. Ad quam fraudem detegendam te prius excutere oportet frondes religionis, & poſtea comperies meram & puram rebellionẽ & ſeditionem illos tractaſſe. A principio pro vno vel altero euãgelij loco de quo illis cum catholicis non cõueniebat, ſe iuſtè & auſpice Chriſto arma accepiſſe commentabantur paganorum more, qui pro interpretatione oraculorum bella quę ſacrata appellarunt, ſuſceperunt, quæ ob eam rem inter Lacedæmonios & Athenienſes aſperrima fuerũt. In quo faciũt iniuriam Chriſto, pro cuius religione ſeſe pugnas inire dicunt, quaſi ille ſit vti Apollo obliquus appellandus, & ex Chriſti cortina & ex loco cæleſti, ex quo illius oracula exeunt, aliquid proferatur ambiguum & anceps, & quaſi illius oracula, vt vetere verbo pontificali vtar, fuerint minus certina, Denique ſi quæ in animis hominum pro religione ingenerá-

tur difficultates, illæ non ſunt ad inſtar nodi gordij Gladio explicandæ, & illæ controuerſiæ non ſunt vti apud Danos ferro dirimendæ. Sed vti in diſciplina militari ad principia per principes ordinum, quibus imperator diſceptationem cauſarum militarium demandauit, lites omnes explicabantur, Sic iſtæ quæſtiones in Eccleſia per Epiſcopos & ſeniores, quibus Chriſtus eam poteſtatem attribuit, ſunt tractādæ, ad quam milites Chriſti qui temporibus apoſtolorum vixerunt, controuerſiam illam de obſeruatione legali detulerunt, & quemadmodum ad caſtrorum principia, ibi lites terminabantur, ſemper fuit caſtitas & ſacrarium: ſic vbicunque eſt eccleſia, ibi eſt ſpiritus Dei, quæ eò appellatur columna & firmamentum veritatis, ad quam & non ad arma ſe recepiſſent, ſi de perquirenda veritate ſcripturę, & nō morbo ſeditionis laboraſſent. Cęterum pro religione & conſcientiæ ſuæ libertate (vt ipſi loquuntur) illos nunquam pugnaſſe magno argumento eſt, quod cum more militari magnis in periculis liceret viro virū legere, cuius latus tegeret, & quo ſuum latus tegeretur probroſos, infames, commu-

nes generis humani hoſtes, latrones vndique conquiſitos, & ex ſyluis & montibus Pyreneis abductas, lateri ſuo adiunxerunt & adglumerarunt. Ex quibus in primo tumultu legionem integram Toloſæ ad ſubſidium (vt illi dicebant) eccleſiæ Chriſti aduentare vidimus, inter quos multi fuerunt quos atteſtari ſolemni illa teſtatione, quæ aurium attrectatione fiebat, impoſſibile fuiſſet. In interuallis exercitus latrones intercalari, & ex Chriſtianis & latronibus legionem gemellam fieri non patitur diſciplina militaris Chriſti: quia cum luſtrationem militarem ventilabrum in manu ſua tenens facit, totus in ſeparatione harum copiarum quas illi impiè coniunxerunt, eſt, latronibus & operatoribus iniquitatis ſuam arcam & ſua caſtra omni ſolicitudine expurgat, & illos vti reipublicæ Chriſtianæ inutiles eiicit lata porta decumana caſtrorum quæ ad ſupplicium & damnationem ducit præcone clamante procul, ô procul eſte prophani, totóque abſiſtite luco. Et per extraordinariam illā portam caſtrorum Chriſti, per quam admittuntur extraordinarij, non recipiuntur omnes paſſim clamantes, Domine Do-

mine,& ſuam militiam appetentes, quam appetere cui non licet ex legibus militaribus, maius crimen eſt quàm detrectare, neque cum illos recipit Chriſtus, ſolemnia illa verba imperatorū in recipiendis tranſfugis vſurpat, Quiſquis es, noſter eris: ſed ita illos, quos recipit, affatur: Si credideris, & mandata patris mei ſeruaueris, ſaluus eris, noſter eris. Atqui nouum hoc genus Chriſtianorum omnes etiam abhorrentes & deteſtantes ſuam religionem modo ſeſe Regi cuius ceruicibus & ſaluti armati imminent ſe bellum gerere profiteantur amiciſſimè recipit. Et eiſdem quos primum pro hoſtibus infenſiſsimis habuerunt & vt tyrannos & fortunarum ſuarum prædones & vxorum & filiarum ſuarum adulteros & conſtupratores publicis libellis & quæſtionibus dum è regis partibus ſtarent accuſarunt, eiſdem poſtea in eoſdem reatu conſtitutos vbi per proditionem à rege deficere cœperunt vt ſocios confederatos & conſortes ſuæ rebellionis non ſolū amplexi ſunt, ſed ſe illis totos regendos & gubernandos commiſſerunt: ô miſerā Chriſti conditionem, ſi hæc vera ſunt quæ illi de ſuis Eccleſiis commentantur, namque

Chriſtus eò redactus erit vt cogatur ad tutelam ſuarum Eccleſiarum cum perditiſsimis & impuriſsimis(quales illos eſſe veſtra iudicia ſcripta & inſtrumenta produnt)ſocietatem inire. Hæc quia cum rebellione coniunctam impietatem habent non poſſum ſatis execrari. Itaque illis denuncia meo nomine, vt ſi in poſterum ita viuere & tractare militiam barbarorum & impiorum more conſtitutum habent, ne abutantur Chriſti & Eccleſię nomine, quæ nomina aperto latrocinio, coniurationi & rebellioni nulla ratione conuenire queũt: illi olim pro Eccleſiis ſuis ſe bella immaniſsima cõtra catholicos religionis ſuæ hoſtes gerere confingebãt, cùm reuera catholicos vti propugnatores regis & regiæ authoritatis quam illi funditus euertere conabantur hoſtili odio & diris crudelitatibus inſectarentur. Quo animo ſemper illos fuiſſe illorum Stratagema de diſtringendis hoſtibus(ex vetere diſciplina militari repetitum)nouiſsime æditum & euulgatum ſatis demonſtrat. Inibuerunt enim prædationem & vaſtationem in agris & bonis catholicorum qui ſe à rege diunxiſsiſſet. Et catholicos duces qui

iam à rege defeciſſent in poſterum ſequi vellent: quo edicto emiſſo nunc caſtra illorum omnibus qui metu criminum & maxime perduelionis ad eos transfugere volunt patent, & licet perditis & ſceleratis quibuſuis impunæ militiæ Chriſti (ita à vobis appellatur) nomen dare, contra diſciplinam militarem Auguſti & edicta militaria D. Traiani quæ reos capitalium recipi vetant, & receptos ſtatim ſacramento ſoluere & capitali pœna afficere iubent. Quibus Ethnicis imperatoribus ſi tanta cura fuit vt ſua caſtra expurgarent colluuie perditorum & criminoſorum, quanto magis id curare putamus in ſuis caſtris imperatorem Chriſtum qui ſua caſtra appellat caſtra ſanctorũ, eoque vereor ne Chriſtus qui ſua caſtra ab hoſtiũ incurſu & circuitu igni de cælo in illos emiſſo defendere ſolet ne in ipſa veſtra caſtra omni genere ſceleratorum & perditorum hominum referta, eundem ignem ad vos conſummendos, niſi breui reſcipiatis & ſecundum formam iudiciorum caſtrenſem perditos illos perduelles & transfugas regi apud quem poſtulati ſunt cum elogio & deteſtatione tanti ſceleris

remitatis. Et ſi in illos qui proditoriè & nefariè vos in commiſſas ſibi à rege ciuitates & arces immiſſerũt immitari exemplum Camilli cum faleriis bellum gerenti volueritis qui ludi magiſtrum quod commiſſos ſibi pueros faleriorum eductos extra vrbem deambulandi ſpecie perditorẽ Romanis tradidiſſet, manibus ad tergum religatis ad falerios puniendum remiſsit è re veſtra & ſecundum diſciplinam militarem multis veterum exemplis cõfirmatam facietis, Et eodem facto vti Camillus animos faleriorum vicit ſic vos animum humaniſsimi principis lenietis & vobis in poſterum illũ perpetuo beneuolentiæ vinculo deuincietis, & ſimul conſequemini vt eodem iudicio rei delictorum & in regem & maieſtatem & in priuatos & vos ipſos (lite iam per vos ordinata) commiſſorum meritas pœnas iuſto dei iudicio qui illos actos ſuorũ ſcelerũ furore & cõſcientia in veſtras manus cõiecit, luẽt: Deo etiã vobis hodie date vitæ & necis poteſtatem in publicos Galliæ & Regis hoſtes, & in eos maxime qui vos cõiuges, liberos, fortunáſq; veſtras abutẽtes authoritate regis impunè per tot annos vexarũt, & afflixerũt.

Caue

Caue etiam tibi, Lomani, à frondibus boni publici & ſalutis cõmunis, quibus ſuas ſeditiones interdum legere conantur: quale fuit illud cùm conſulebant regi vt tempore pacis & extra omnem ſuſpicionem periculi, ablegaret milites ſuos titulos qui fines & limites & totum ipſum regnum tuebantur. Item vt protectores & procubitores milites, qui corpus ſuum diu & noctu protegebant, dimitteret, quòd illę cuſtodiæ extraordinarię magnis impenſis, & magno cum populi onere (cui ſe velle cõſulere dicebant) fierent. At prudentiſſimus Rex Carolus quòd animaduerteret id cò ab eis dici, quò facilius ſe cuſtodiis & auxiliis nudatum, intercipere poſſent, reſpõdit illis ex vetere aruſpicina incomitatum eſſe regem, ferale & mortiferum omen regibus eſſe, & regem aliàs in ſummum diſcrimen veniſſe, quòd ex conſilio Platonis cuſtodias dimiſiſſet. Et ſane malè cum eo actum fuiſſet, cùm ei non pro tribunali, ſed in itinere ſupplicationem Meldæ ſeſe velle offerre ridiculo commento affingerent, niſi ſuis cuſtodiis & ſtipatoribus latera ſua texiſſet. Et ſupplicatio illa ſupplicium & necem fidiſſimis ſuis conſi-

liariis non ſine magno capitis ſui periculo, (vt ille perſuaſum habuit) attuliſſet. Supplicandorum regum veterem formulam, qua poſitis armis & facto plauſu manus illi non armatæ ſed velatæ tendebantur, & protendebantur ſequi noluerunt. Sed clibanati, & toti ferro tecti, bombardas illi tendẽtes proceſſerunt, & cum armis ſupplicationem armi luſtriam appellatam facere malo & peſſimo exemplo voluerunt. Et quamuis non pudeat illos armis regem proſequi, cum copiis ſuis depugnare illius vrbes, & arces occupare & expugnare: pudet tamen fateri ſe contra Regem arma portare, & contra illum bella gerere: non ſecus ac ſacerdotes Ethnicorum quibus religio non erat, iugulare victimam, ſed dicere ſe iugulare victimam 'ideo dicebãt ſub collo ponere, putantes ſacra vitiari nõ rebus mali hominis, ſed vocibus inauſpicatis. Sic iſti quòd non auderent apertè primum per legatos ſuos decere, quod dixerunt ciues illi de quibus fit mentio in Euangelio, Nolumus illum ſuper nos regnare, & quia non audebant apertè pileo haſtę impoſito vetere more ad libertatem proclamare, & iugum legitimũ excutere.

De rege, quem apertè & in omniū hominum oculis oppugnabāt dicebāt ſe pie loqui in ſuis fidei profeſſionibus euulgatis, & in publicis precibus illi bene imprecari. Sed ſe ideo armatos capere & intercipere Regem voluiſſe, vt illum, quem à Regina matre, & à ſuis conſiliariis captiuum teneri affingebant, in plenam libertatem reponerent. Sed quis adeò ſtultus eſt, qui non videat ſub iſtis verborum frōdibus dolum & fraudem, & regis & regni exitium latere? Eoque rex exemplo veterum qui ſe laudari & bene ſibi ominari ab aliquibus metuebant, quòd illorum preces & laudes vim faſcini haberent, neque laudari volebant niſi præficiſſe: id eſt ſine faſcino: laudes horum homium ſuſpectas & facinatas eſſe putauit, & habuit illorum preces pro exitiali illo carmine & diris imprecationibus, quibus ethnici hoſtes deteſtabantur, quòd cor illorum abeſſe, & illorum actiones cum verbis nulla ratione conuenire videret, & ne in iſtorum liberatorum manus incideret, omni ratione & viribus cauit. Quod metueret ne illi eo intercepto captiuam illam quam affingebant captiuitatem in triumphum ducerent, & ne ſi-

bi accideret, quod regibus captis, & in triumphum ductis cùm currus de foro in capitolium flectere incipiebat, qui continuo carceri & neci tradebantur. Hoc tamen, etſi in animo non habuerunt: tamen quia regem ipſum hoſtiliter cum armis proſecuti ſunt, magnam eius rei ſuſpicionem illi iniecerunt, quæ in animo optimi principis, nihil de ſuis ſubditis male meriti, altius quàm ratio valetudinis ſuę poſtularet, radices egit. Qua vna ſuſpicione criminis pro exiſtimatione nominis Gallici, illos apud exteras gentes expurgatos eſſe cuperem. Sed illi pro reſponſo & expurgatione conuitia more ſuo reponent: quia non nouerunt rationibus, ſed contumeliis certare, contra diſciplinam militarem Chriſti, quæ eos improbat milites quibus dentes ſunt arma & ſagittæ, & lingua gladius acutus. Et quia labiis iniquis & lingua doloſa venenum aſpidum conuitiorum & maledictorum in aduerſarios emittere, & non cum illis Chriſtianorum rationibus & telis pugnare didicerũt ex vetere caſtigatione militari vſurpata à Mẽmone duce exercitus ſub rege Dario malè multabuntur & lancea percutientur,

quòd non nouerint pugnare contra hoſtem, ſed illi tantum maledicere. Ad quem vſum milites Chriſtiani qui maledicta aduerſariorum benedictis contundere iubētur, conducti non ſunt. Poſt punitionem ſeditioſorum die Bartholomæi Lutetiæ habitam, quæ magno cum Regis dolore & luctu vltra authores vagata eſt, expectabamus aliqua illorum ſcripta modeſtia Chriſtiana digna, quo eos tegere vel excuſare (ex veteri ſuo more perditis patrocinandi) conarentur. Sed ex reliquiis ſeditioſorum, qui pro ſupplicio affectis defenſionem ſuſceperunt, omnes exteræ gentes apertè cognouerunt, & mortuos maiore ſupplicio dignos fuiſſe, & eos qui ſuperſunt omni exterminio è vita exterminandos eſſe, furore namque illis verba miniſtrante, apertè & ſine circuitione verborum quod antea ſimulationis frondibus texerant, ſcripſerunt ſe regium iugum & legitimum eius imperium detrectate, & non contēti in bonum & optimum principem omnia opprobriorum & conuitiorum genera conieciſſe, omnes ſuos ſubditos ad defectionem & ad ſeditionem publicis ſcriptis adhortati ſunt. Et formu-

Iam illam, qua abrogatum eſt imperium Vicenceilao imperatori, ſequuti, vbique ſignificarunt ſuis ſubditis illos eſſe ſolutos ab omni fide & ſacramento regi præſtito, & illi nullum ius regium in poſterum præſtandum eſſe. Et tunc veterem teſſeram ſeditionis Pean, quā antea religionis, conſcientiæ, boni publici prætextu variè adũbrarũt, apertè, publicè & in omnium oculis protulerunt. Qua in re veterem caſtigationem militarem, vt imperator militibus ſua pugillaria tacitè perlegenda ſine arbitris & imitabitur Chriſtus & librũ vitæ in quo omnes iſti libelli famoſi & furioſi tranſcripti ſint, illis legendum proponet in die iudicij, vt ex illius lectione & propriis ſuis ſcriptis & inſtrumẽtis iā ſe eſſe condemnatos vti reos impietatis & ſeditionis agnoſcant & intelligant. Maxime cum libri eorum furore & impietate pleni, nulli vſui fuerint, niſi ad illorũ & mortuorum quos defendere conabantur ſcelus apertè exteris dubitantibus de rei veritate detegendum. In quibus nulla eſt linea hominis moderati, pij & Chriſtiani, omnia ſunt tragico & ſatanico furore plena: ita vt ex induſtria ſuis ſcriptis omne

principes exteros antea ſibi fauentes à ſe alienare voluiſſe videātur. In quibus etiam diem Bartholomei vti iuſtam cauſam belli & regis mortui expugnandi proferebāt, & me Iuriſconſultum, quòd extraordinarium illud iudicium cauſa non dicta ſolenni more probarem, contra leges quas profiteor facere & ſentire dictitabant. Sed ego in diſciplina militari edoctus, ſemper corpus & animam (vetere ritu) ad exequēda mandata imperatoris mihi à Deo dati paratam habeo. Reliqua illi cōmitto, cui Deus me commiſit, neque decet militem ex eadem diſciplina de cōdemnationibus militum factis à duce & conſiſtorianis in caſtris cauſas inquirere. Quinimo cum fuſtuarium fit more militari duce vel tribuno militem fuſte cædēte, mox reliqui milites fuſtibus & lapidibus noxium petere debent. Sic cum claſſicum ſupplicij (de quo cum rege expoſtulant) audiuimus occurrere, & ſententiæ præfectorum noſtris ſententiis tanquam fuſtibus & lapidibus iactis acquieſcere & aſtipulari debuimus. Ius etiam militare me docuit omnes punitiones ſeditioſorum ſeueriſſimas & extraordinarias eſſe debere, vt extraor-

dinaria ſuppliciorum formido, milites ad obedientiam compellat, & ab ſtudio ſeditionis retrahat, & vt veteres locuti ſunt in ſeditionibus aſpero & abſciſſo caſtigationis genere vtendum eſt, & continuo ſeditio opprimēda eſt ne opprimat. Denique hanc ſeditioſorum punitionem extraordinariam à rege intercepto & præoccupato vi imminētis maioris periculi extortam comparare lubet cum illa ſeditione Core nón conſueta, ſed extraordinaria & inuſitata plaga vindicata. Contra quam punitionē ſeditioſorum extraordinariam, cùm populus murmuraſſet, populi murmuratio nō minus grauiter ipſa ſeditione Core vindicata eſt. Deniq; cōtra diſciplinā militarem etiam ab hominibus pręſcriptā eſt milites contra ducem & ſua conſilia & iudicia murmurare, fremere vel ſeparatim vel in circulis. Sed horum perditorum hominum animus omnes occaſiones murmurandi contra regem, & illi malè imprecandi & ominandi captabat, & ex nouo, cometa qui apparuit, ridiculum & impiū argumentum ſcribendi etiam verſibus cōtra regem arripuerunt, & ex ea regi exitiū, regni euerſionem, & ſtatus mutationem certiſ-

certiſſimam protendi euulgarunt ea ratione vt facilius fidelibus & addictis regi ſubditis ne ſe in poſterum in regem tam infirmum parietem & minantem ruinam inclinarent, perſuadere poſſent, & vt facilius etiam euocarent exteras gentes ad prædã & exequias regni, cuius ſeneſcentis & caduci diem fatalem inſtare dictitabãt. At illi fallentur & decipientur. Namque Gallia ſortem eandẽ quam Sybilla Athenienſibus denunciauit, habet, iactabitur vt vter in mari, ſed non ſubmergetur. Et Gallia, quæ illorum ſeditionibus variè agitata fluctuare viſa eſt, ſtat adhuc, & ſtabit illis inuitiſſimis & nolentibus. Qui etiã paladium illud in quo conſiſtunt fata Galliæ fruſtra auferre ſuis nefariis armis conabuntur. Deniq; ſi vetera verba Aruſpicinę ad nouum regem Henricum accommodare licet, Regalia exta Regi noſtro pollicentur ingentes honores & felicitates etiã inſperatas. Ante aduentũ noui regis cauſa quæ ſemper fuit illis index & ſignũ bellorũ, non fuit vti aquila Romanorũ, cuius ferculũ ſemper fuit eiuſdem coloris. Nãque cauſa identidẽ mutabatur, & cauſa varias cauſas & formas habebat, modo reli-

gionē, modo conſcientiæ libertatē, modo ſalutem publicam, modo inſidias ſibi paratas, modo violationem edictorum prætexebant, neque habebat cauſa certam cauſam in qua conſiſteret, ita vt qui illam ſequantur cum tanta inconſtantia milites velites & leues non à leuitate armorum, ſed à leuitate animorum merito appellari queant. Quæ variatio non vt in formulis forenſibus, ſic in re militari recipitur: quia cauſa belli ſolenniter & cum trina numinum cæleſtium, terreſtrium & infernorum atteſtatione indicitur. Et cùm putaremus illos nouo regi vetere more obuiam cum faſcibus ſuppliciter ituros abiectis illis faſcibus quibus antea Galliam ſeditionibus incenderant. Ecce vetus cauſa nouam peperit, quare regis imperia ſubire, & ſuas illi ciuitates reſtituere recuſent, affingunt ſe ſibi & vitæ ſuæ timere, pro cuius tuitione & ſe in armis perſiſtere, & occupatas ciuitates retinere uelle regi denuntiāt. Sed hęc noua cauſa, verè cauſa eſt (more rhetorum) à ratione diſtincta, quæ nihil præter impetum furioſorum hominum habet, quæ cauſa durandi in ciuitatibus occupatis, & in armis quàm parum conueniat

militi Chriſtiano ex eo liquet quod timidis, & qui vitæ ſuæ conſulere voluit, ſolum ex diſciplina militari Chriſti præſidium ſit in Dea fugia, id eſt, fuga ſecunda rei militaris parte.

Quàm accuratè pater cæleſtis tractauit. Nam in fuga parte martyrij volens filium ſuum exercere à prima infantia, continuo nato filio leges de fuga cum omni cautione per angelum ſuum ita euulgauit: cito intempeſtà nocte loco tutiſſimo fugiunto. Durante periculo in fuga perſiſtunto, renouato periculo fugam identidem iteranto. Chriſtus in perſecutionibus Mars noſter gradiuus, & in ante pedem & gradum mouere, & pedem & gradum reuocare docet, & prout res poſtulat, modo patientiam: modo fugam indicit ſuis legionibus, quibus ex diſciplina militari ius eſt fugere, ſed non facile fugere. Et Chriſtus lege illa ſua fugiali: cum perſecuti fuerint vos in ciuitate iſta, fugite in aliam, non timidè & leuiter ſtationem deſerere iubet: ſed monet ne inconſideratè periculis nos præcipitemus, quod furiatæ mentis eſt. Nam legibus Chriſti, vbi

nullus eſt fructus martyrij, fuga imperatur, & legibus humanis, qui nullo reipublicæ vſu ſeſe periculis offerunt & præcipitant rei ſuæ mortis ſunt, pugnæ & fugæ tempus ſpiritu Dei duce examinare debemus, quem trahentem & retrahentem in bello ſequi oportet: & ideo coniurationem illam veterem inter milites habitam ſeſe fugæ atque formidinis cauſa non habituros, non violat Chriſti miles, qui interdum fuga ſibi conſulit, neque licet commilitonibus ita fugientes pro deſectoribus cædere. Sed à præpoſitis, tribunis & paſtoribus initium fugæ fieri turpe eſt, qui cùm debeant pro ouibus & militibus ſibi commiſſis animas ſuas dare, & pericula quæque obire, ſi illis relictis terga dederint & effugerint, peſſimo facinore ſeſe obſtringunt, & illos capitalis pœna manet. Qui etiam tẽpore neceſſario magis fugere quàm protegere ſuum tribunum & centurionem maluerunt, ſupplicio afficientur legibus humanis: ſed milites Chriſti cum illo relicto in horto effugiunt, non ſeueriter puniuntur, ſed deprehenſa militari, quæ eſt animaduerſio caſtigatione maior ignominia minor vi-

tem tenente tribuno & dicente: non potuiſtis mecum vigilare, mecum ſtare & durare admonebuntur. Et fugam cùm permittit Chriſtus, non ita diſſolutè fugam permittit, vt liceat militi fugere in conſpectu exercitus & ceſſeſſionis exemplum dare, quod capitale eſt in legibus fugialibus: ſed oportet illum ſibi conſulere, cautè & noctu per murum in ſportam exemplo Pauli ſeſe periculis eximere, cauendúmque eſt ne fuga fœda ſit, & ſcandalum pariat. Item cùm dicit Chriſtus fugite de hac ciuitate in aliam, non vnam vel alteram ciuitatem in fuga & in exilio mutandam dicit Latinorum more, quibus exilij cauſa ſolum vertere in duabus tantum vrbibus Præneſte & Tyburi ius erat. Namque iure Chriſtiano licet & debemus omnes ciuitates exilij cauſa peragrare & conſummare, & ne tam longa omnium ciuitatum peregrinatio & vagatio deſperationem militibus ſuis induceret, & ne ab Erytna victi longum fugæ laborem linquerent, addit priuſquam omnes ciuitates peragraueritis & cõſummaueritis, veniet filius hominis, qui veſtram fugam vti alter Iupiter Stator ſiſtet, &

vos certis ſedibus locabit, vel vos patriæ veſtræ reſtituet, ita vt poſſitis veterum more illum diem quo reuocabimini & redibitis in patriam, diem natalem appellare. Sed ſe Iouem Statorem illis fore tãtum pollicetur, qui fugam inieruńt & ſuſtinuerũt æquo animo,& qui premẽte neceſſitate fugã arripientes, arma ad cælum (more antiquorũ)ſuſtulerũt,& preces fundẽtes illũ rogauerũt, vt cùm illi viſum fuerit,demat terrorẽ fugámq; ſiſtat.Namque precibus exules reſtituũtur, & murmuratione perpetuãtur. Primitiua Eccleſia interdũ in ſyluis,& inter deſerta ferarũ luſtra domóſque vitam trahere cogebàtur, victu infelici euulſarum radicum paſcebatur. Et in ciuitatibus in quas fugerant veteres Chriſtiani exilij cauſa conſiſtebant, orantes & docentes, nulla arma, nullas copias colligebant ad expugnandas eas ciuitates à quibus aufugerãt, & à quibus eiecti vel recepti non fuerant. Nam qui hoc faciunt in deſperationem redacti Satanæ Chriſti hoſti ſe tradunt, & in perſecutionibus non fugiunt,ſed transfugiunt: quod in legibus etiam Chriſti fugialibus capitale eſt. Qui itaque ex Galiis ſeſe recepe-

runt in exteras gentes, vt nouis conſpirationibus & legionibus factis, rurſus in Galliam impetum facerent, non ſacro illo veterum refugio, ſed ſatanico refugio mihi videntur effugiſſe, quia legibus Chriſti fugialibus corpore & non animo fugiendũ eſt, & animus quietus in ipſa fuga ſemper cum Chriſto eſſe debet. Itaq; cũ in ciuitates maritimas fugeret Chriſtus & Apoſtoli, eo ſe receperunt, vt nõ intercluderẽtur, & vt vbi vſus foret alio facilius maris beneficio effugere poſſent, non vt illas contra reges ſuos occuparẽt atque munirent, & illas per vim retinerent, & in illis obſidionem obſtinato animo paterẽtur. Ideo illis ciuitatibus, quarum tanta fuit pertinacia, vt mœnia ſua crebro ariete cati paſſæ ſint, non video qua ratione conſulam, & qua ratione tam inſignem contumaciã purgare queant, niſi omnium regum rex humaniſſimus Henricus ſeueritatem noſtrarum legum, quæ illos in deditionem recipi vetant, ſua miſericordia & bonitate leniat. Chriſtus & Apoſtoli fugientes ab illis ciuitatibus, quæ eos & doctrinam ſuã recipere recuſarunt, puluerem pedum in eas excuſſerunt: ídque cum nos etiam fa-

cere iubent. Non iubent verbo pulueris vt puluerem tormentarium ad illas ciuitates nobis apeciendas, patefaciendas vel euertendas conquiramus: vti ab illis factū eſt & fit quotidie, qui ſe apoſtolorum & diſcipulorum primitiuæ eccleſiæ aſſenſos: id eſt, in cenſum illorum ſubrogatos milites, falſo ſe dictitant, ad quorum ſocietatem ſi pertinerent, fugerent de ciuitate in ciuitatem, & occupatas ciuitates contra ius, viſis in portis illarum inſignibus regiis, continuo eas vti regias regi reſtituerent, authoritate illius programmatis militaris, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, permoti, pro quibus retinendis nulla illis competunt interdicta legibus prodita, niſi vti Manichæi nouum aliquod ius & euangelium apocriphum proferre audeant, ex quo arma ſua & ſuam contumaciam contra imperatores iubentes illos, quia legibus ſuis viuere nollent, è finibus ſuis excedere prętexebant. Quos & noſtri ſeculi ſeditioſos ita alloquitur Auguſtinus: Quare non exitis ex ciuitatibus in quibus eſtis contra volūtatem imperatoris? Si Chriſtiani eſtis Deo imperante fugam & imperatore eam in poteſtate veſtra dante: quia imperatoris

legi-

legibus viuere recuſatis, ille vos exire iubet, patent portæ, cur non exitis exemplo Apoſtolorum & Chriſti, qui poteſtatibus audientes fuerunt, qui in perſecutionibus ſemper inermes proceſſerũt, paſſi ſunt vel fugerunt: In vetere Grȩcorum militari diſciplina equi veloces vti fugæ inſtrumenta præſente exercitu verberabantur, vt ex eo militibus fugæ turpitudo indicaretur: at contra in vetere diſciplina militari Apoſtolorum & in illorum actis paſſim fugȩ exempla militibus proponuntur, vt ex eo intelligãt Chriſti milites nullam eſſe turpitudinem in fuga tempore perſecutionum, namque illis fugientibus licet merito vſurpare Antigoni fugientis dictum, ſe non fugere ſed ſequi vtilitatem quæ à tergo eſt, quia cum Chriſtus noſter tergi ductor nos fugere & terga vertere conſulit, ibi noſtra commoda noſtráſque vtilitates quo ille ducit ſitas putare debemus, leges has Chriſti militares, de fuga tam accuratè perſcriptas ſe non poſſe exaudire in tanto ſtrepitu armorum in quo verſantur à quatuordecimo anno, à quo lõgo tempore ſe arma prȩſcripſiſſe, contra præcepta Euangelij dicent. Tamen nihil eſt

apertius & clarius per præcones cæleſtes hominibus ſignificatum ; & ſæpius inculcatum, quòd eò dixit quidam ex antiquis patribus Chriſtum feciſſe, vt mandati euidens & manifeſta trãſgreſsio nulla defendi poſſet ficta imaginatione iuſtitiæ. Et cum Chriſtum & Apoſtolos aduerſarij perſequerentur iniquiſsimè, & illi interdum haberent maiorem populi partem ſibi fauentem, ab ore illorum pendentem, reges & Deos ſalutantem, ita vt commota ſeditione ſuperiores hominum viribus viderẽtur potius quàm contra principum voluntatem conſiſterent, & ſeditionem (à qua quàm lõgiſsimè abeſſe oportet Chriſtianos) cõmouerent, diſcedere & fugere maluerũt, in perſecutionibus, vti vno igne aurum rutilat, palea fumat, ita qui verè Chriſtiani ſint, vel patiuntur vel fugiunt; qui nomen Chriſti ſibi falſo arrogant, vrbes occupant, ad arma & vim publicam confugiunt. Timere ſe vitę ſuę periculum dicunt, timidis & quibus patiẽtiæ donum abeſt, ſummus medicus Chriſtus fuga medetur: nam in fuga timidis magna eſt ſecuritas quia leges militares de fuga à Græcis repetitæ vetant eum qui fugit &

cedit loco, occidi vel cædi. Atqui illi ex conſilio Chriſti fugere recuſant, ſeſe Gallos, & ita terræ & globo gallico addictos dicunt, vt ab eo diuelli niſi volentes nequeant. Sed lex ſacrata militaris quæ vetat militem expungi militia niſi eo volente, de iis non intelligitur qui ſceleribus & delictis militaribus ſeipſos è militia exi-merũt. Namq; illi etiã nolẽtes cũ ignominia mittũtur, & militiã eiurare coguntur. Sic illos in quibus corpora & vultũ tãtum Gallorũ, animũ verò & facta hoſtiũ agnoſcere fas eſt, è Galliæ caſtris quamprimũ, quàm lõgiſſimè leges militares abeſſe iubẽt. Deſinãt itaq; Lomani in poſterũ, qui totam Galliam ſeditionibus nefarlis incenderunt, vaſtarunt & dirripuerunt, ſeſe Gallos appellare, & hoc nomen natiuitate comparatum, & ſuo ſcelere amiſſum ſibi attribuere. Nam illi ſuis criminibus ſeſe ex albo ciuium & Gallorum erraſerunt, ſuis impiis in patriam crudelitatibus, ſe in peregrinitatem redegerunt. Deſinant etiam addictiſſimis, fidiſſimis, prudentiſſimis, & aduerſus ſuas inſidias oculatiſſimis regis miniſtris peregrinitatem obiicere. Qui quamuis peregrini eſſent (vt ipſi falſò

confingunt) tamē tantis & tam inſignibus ſuis meritis atque officiis in Galliam duriſſimo illius tempore collocatis, ius non ſolum ciuitatis, verùm etiam triumphi mererentur. Sed operępretium eſt, videre hac vna in re hominum impudētiam & amētiam. Obiiciunt peregrinitatem quibus illis qui conſiliis, prudentia & artibus ſuis ab impetu perditorum & furioſorum Gallorum Galliam ſæpius liberarunt, obiiciūt peregrinitatē qui illi qui hoſtili animo erga regnū & regem animati ſunt, qui Galliæ ſtatum labefactarūt, qui regem & Galliam prodiderunt, quos legitimè pœnæ ἀπόλιδας & peregrinos effecerunt, quóſque illę ipſæ leges in vrbe euocari per carnificem, & in crucē Martio in campo figi iubent, & imperant. Peregrinis contra leges & mores Gallorum committi gubernacula conqueruntur. Atqui in omnibus regnis & rebuſpublicis bene inſtitutis, ſemper hoc obſeruatum eſt, vt regi vel populo liberum ſit magiſtratus ciuileş & militares, quoſuis etiā peregrinos, modo illorum virtutem & induſtriā perſpectam habent, legere. Et hoc etiam in Gallia ſemper obtinuit. Neque vnquam reges

ad hanc neceſſitatem, ad quam iſti Galliæ deprædatores illos adigere conantur, pertracti ſunt. Sed quia vidēt illos miniſtros, quibus pro omni cumulo criminum peregrinitatem opponunt, ſuis nefariis conſpirationibus viriliter obſiſtere, & regiam authoritatem, quam illi opprimere conātur, cum omni vitæ ſuæ diſcrimine atque periculo tutari atque protegere, eo illos ablegatos & dimiſſos quàm longiſſimè à rege cupiunt, quo facilius poſſint in illorum locum eos (quos ſibi occultè fauere, & cum rege aſſiduè verſari dicunt) immittere, & per eoſdem omnes aditus, diligentia eorum, quos peregrinos appellant, occluſos & obſeſſos, ſibi ad occupandam & diripiēdam Galliam patefacere. Ex quorum etiam conſilio & genio frigidam illam & ineptam inſectationem peregrinorum ſeſe euulgare prædicant. Qua nihil turpius, & ad dedecus nominis Gallici ſcribi & fingi potuit: cuius præcipua laus vti Athenienſium, in hoſpitalitate & fouendis peregrinis cōſiſtit. Proferūt quàm falſiſſimè illo ſcripto iure & moribus Gallorum peregrinis non ſolum ciuitate & honoribus, verum aqua & igni interdi-

ctum eſſe. Sed mirum non eſt immaniſſimos homines, qui in Gallia omnes crudelitates barbaras exercuerunt & exercent, leges etiam barbaras & crudeles à Scythis & Garamantis de peregrinorum odio & inſectatione repetitas in Galliam (proprium Gratiarum, muſarum & humanitatis domicilium) inſerere velle. Quę leges ſi in Gallia, quod abſit, vnquam viguiſſent: eſſent tamen omnium ſuffragiis abrogandæ. Exemplo Spartanorum, qui primùm mutuati à barbaris legē illam de peregrinis non admittendis ad iura ciuitatis & dignitatis, poſtea vſu edocti, legem vti crudelem & incommodam ita radicitùs ſuſtulerunt, vt Xenophon ſcribat ſuo tempore Spartanos in eo maximè laboraſſe, ne vnquam peregrino magiſtratu carerent. Et ipſa Roma, quæ à Cynea Pyrrhi legato regum patria dicta eſt, ſeſe regendam peregrinis ſæpe commiſit; Et noſtra Gallia quæ ſub duce peregrino Breno (cui ſe commiſerat) Italiam & Romam ipſam proſtrauit, & ſummam rei bellicæ laudem conſecuta eſt, opem, conſilium & authoritatem peregrinorum ad eam liberandam & vindicandam è ma-

nibus ſeditioſorum ciuium; qui illius ruinam meditantur, nunquam eſt hodie recuſatura, & eos tanquam è cælo delapſos ad ſui ſalutem perpetua memoria colet & venerabitur. Sed iſta Lomani, aperta in nonnullos peregrinos iaculatio, cæcos & occultos ictus in reginam matrem continet. Quam etiam illi quo ſunt furore perciti apertè ad conflandam ei erga regem inuidiam petiuiſſent, niſi admoniti fuiſſent per ſuos ſpeculatores, quos non vulgaris authoritatis ſe habere in aula dicũt, nulla ratione diſiungi poſſe filium à matre, cui ſe omnia debere putaret, & qui rediens è Polonia cùm ab omnibus ordinibus vno conſenſu intellexiſſet Galliæ regnum prudẽtia, conſiliis, laboribus, periculíſque matris è flamma, ferro, ſeditionibus, & planè ex faucibus fati ereptum, ſibi conſeruatum fuiſſe, matri dixiſſe fertur: Quia hereditates non magis ab illis, qui nobis eas reliquerunt, quàm ab illis qui nobis eas conſeruarunt, accipimus, eo tibi venerandæ ac obſeruandæ matri ac dominæ in omnium conſpectu profiteor & agnoſco, me hoc Galliæ regnum hæreditate legitima antea paternum, tua

conſeruatione atque beneficio vti maternum hodie ſuſcipere, & tibi vni maxime acceptum ferre. Sed vt ad fugã redeamus. Cum fugat nos Chriſtus è patria, & alienis terris immittit, vbique patriam & Galliam eſſe, putare debemus. Nãque ita nos teneri amore patrię, vt pro ea amorẽ Chriſti poſtponamus, cõtra pietatem Chriſtianam eſt. In hac mundi peregrinatione fixas & ſtabiles ſedes nullas putare debemus, & qui ſtationem Galliæ gratiſſimam relinquere recuſant, militiam Chriſti ignorant, in qua nulla ſunt ſtiua ad diuturnitatem temporis, neque in illis ædificia firmare, & focos ponere legibus datur. Cùm itaque nullos habeat militia Chriſti conſiſtentes milites, ſed vbique vagantes, & in agmine ſemper conſtitutos, fugam recuſare nulla ratione debemus. Sed oportet ad illius imperium & nutum pennas elongare, & fugere in deſertum. Per fugam liberat nos Chriſtus à perſecutionibus. Itaque in exilio Chriſtum ductorem, vbi ſolum vertere, & nos à Gallia faciem auertere iubebit, ſequi oportet. Quamuis dum nos ſe ſequi in exilium iubet, nobis proponat, ſe vnum cubitum (quem ſaltem oportet

habere militẽ in acie conſtitutá)terræ non habere vbi declinet caput ſuũ: ſequi tamẽ oportet quocũq; ierit, & omnẽ difficultatem & aſperitatem exilij Chriſto duce nos ſuperare oportet,certi nos nõ moueri & agitari fatis,ſed voluntate Dei:ille dum fugam imperat & ſuos diſperſos abire iubet ex cautione militari in effugiẽdo locũ vbi omnes ſuos milites conuenire oporteat indicat ad manſurã vrbẽ & mœnia cęleſtia nos tendere debere docet per aſperas & difficiles deſerti vias Chriſto cãpi ductore ducente & monſtrante vias, viator tendẽs ad patriam ſtabulum pro domo ſua non eligit :ſic nos deos penates in hoc mundo cæleſtibus numinibus ad quos vocamur, anteferre non oportet. Veri penates (in quibus olim inſcriptum erat magnis diis) Chriſtianorũ ſunt in cælis, in quibus habitat magnus ille Deus & vnus, cuius veſtigia nos ſequi oportet, ſi volumus lares cæleſtes repetere. Ille dum ſe ſequi in fugam iubet, patriam, parentes, fortunas, omnia denique humama impedimenta relinquere iubet:quia bonus ille & prudẽs erogator militaris annonæ omnia nobis neceſſaria,non ad voluptatem accommo-

data miniſtrabit. Veſtis vna militaris, panes militares, buccellati parui nunquã defuerunt illis qui pié ſeſe Chriſto crediderunt. Et Cibaria in multos dies ſuos milites portare vetat: quia ille qui paſcit aues cæli, ſuis militibus prouidebit, & illis in manſionibus per ſingulos dies annonas de manu in manum & panem quotidianum diſtribuet. Itaque deductionem illam phalangis militarem ad leuam per aſperrima deſerti & exilij recuſare non debemus, neque turbari cùm ex patria & loco à natura ordinato in exteras terras transferimur, & tanquam in colonias transſcribimur. Namque exercitatus miles, etſi ſubinde mutetur locus & aciei facies ex ouali in lunarem, ex orbiculata in oblõgam, ex quadrata in triãgularem, nulla immutatione, nulla variatione commouetur, ſed ſemper ordines patientiæ & moderationis Chriſtianæ ſeruare didicit. Et ideo militi Chriſtiano nulla accidit ſubita & improuiſa fuga: quia ad illam ſemper eſt paratus & accinctus: quibus cum ſuas vigilias denuntiat Chriſtus, non in quatuor partes ad clepſidram illas diuidit: ſed per tibicines & cornificines per quas committit vigi-

lias,ſuos milites omnes in ſpiculis per totam hanc vitæ noctem vigilare iubet, ita vt dum circuibit ſuas vigilias,illos ſemper & in quacunque parte vigiliarum vigilles, alacres, & ad fugam expeditiſſimos comperiat, ita vt nulla ſolicitudo patriæ, domus & fortunarum ad quas recurrere vetat fugæ expeditionē remoretur. Ideoque iubet milites ſuos fugam ab omnibus humanis impedimentis & deſideriis expeditam orationibus ſuis à patre cæleſti petere. Quam ab illo non obtinuerunt, qui in fuga & exilio murmurant, regi maledicunt, libellos famoſos omni conuitiorum & blaſphemiarum genere refertos componunt, quorum fuga, quia virgam domini æquo & placido animo nō ſuſcipiunt, impeditiſſima eſt: At veri Chriſtiani in fugam, in exilium alacres, expediti, intrepidi veniunt, & ita in illo perſiſtunt ſtatum ſuum Chriſtianum: id eſt, mentem pacatam & quietam in ipſa relegatione retinentes. Ita primitiua Eccleſia antiqua mater vbi fuerunt prima Chriſtianorum cunabula, hanc militiæ rationem perpetuo ſecuta eſt, vt pateretur vel fugeret. In perſecutione ſub Adriano D. Stephanus

diaconus lapidibus obruitur, alij diſcipuli in alia loca confugiunt, quos ex fuga & exilio ad pœnam pertrahere Paulus conabatur. D. Stephanus per gradus promotionem ad honorem martyrij peruenit, & ſecundum ordinem matriculæ, quia dies pugnæ ineluctabilis venerat: alij fugerunt domino nictante fugam, ſub Caio Caligula male tractatus eſt Philo, alij ſibi fuga conſuluerunt: ille vti veteranus prælium ſuſtinuit: alij vti tyrones tantis periculis non ſunt expoſiti. Sub Claudio D. Iacobus major docolatur, D. Petrus carceri coniicitur: alij fugerunt latuerũt, manus expectatæ fortitudinis, perſecutionem ſuſtinuit manus in qua adhuc minus fiduciæ erat ex cautionibus militaribus in poſtremam aciẽ reiecta eſt. Sub Nerone pugnantes mortem obierunt Iacobus frater domini, Marcus, Petrus, Paulus, præcipitatione, cruce, gladio. Alij milites quibus aſperæ & non tollerabilis perſecutionum facies viſa eſt latebris vel fuga ſibi conſuluerunt. Chriſtus illos vti atriarios & robur exercitus impetum hoſtium ſuſtinere voluit, hos ſeſe recipere propter langorem & infirmitatem iuſsit. Sub Do-

mitiano viriliter pugnantes occubuerunt Ioãnes, Timotheus, Oneſinus, Dionyſius Areopagita, cum antea fugam & exilium experti eſſent, tandem per gradus militares ad coronam martyrij peruenerunt, & difficiles illos ſcopulos perſecutionũ multorum oſsibus albos ſubierunt. Sub Traiano Euariſtus, Clemens Alexandrinus, Quirinus filia eius Biblia, Sulpitius Seruilianus, Phocas animas ſuas per patiẽtiam Chriſto conſecrarunt alia manus quæ (vt vetus ſymbolum militare vſurpem) ſatis fida non fuit, & quorum fides altas adhuc radices non egerat, latuit vel fugit. Sub Adriano cum clamoribus vulgi innocentium Chriſtianorum ſanguis concederetur, miros & innumeros patientiæ triumphos ſibi erexit Chriſtus. Alexander Romanus Epiſcopus cum Hermete præfecto vrbis, & tota illius familia numeró M.CCL. in furno ardenti cremantur. Zeno patricius Romanus, cum decem milibus interficitur. In Armeniæ montibus decem mllia martyrum crucifiguntur, alij ſibi fuga conſuluerunt, quorum maxima pars cũ ſe ex fuga ad ſuos recepiſſet, imperatore mitiore facto, eo rurſus in priſti-

nam tyrannidem impulſu & ſolicitatione, Sereni, Graniani reuerſo intercepti, occiſi ſunt, & vti apud antiquos, nũquam acrius pugnatum eſt, quàm vbi de ſigno amiſſo ab hoſte recipiendo ageretur: ſic qui ex fuga redierant, pudore quodam ſuffulti, quod de exiſtimatione & fortitudine Chriſtiana aliquid ſibi ademptum, quod à principio fugientes, recuſaſſent martyrium, poſtea quam maximo impetu pro martyrij corona in media arma ruentes depugnarunt. Itaque cùm ſub Antonino Vero æquiore Chriſtianis facto in gratiam Chriſtianæ legionis, quæ bello Macedonico pluuiam precibus impetraſſet, qua refocillatus eſt illius exercitus, omnes ex fuga, & latibulis ad ſuos ſe recepiſſent, poſtea enatis perſecutionibus qui prius fugerant, primi martyrio ſeſe offerebant, nullum mortis genus recuſantes, ita vt exilium non illorum animos fugerit & debilitarit, ſed magis ad patiẽtiam incenderit. At exilia Lomani, noſtrorum hominum nihil illis profuiſſe iam bis téruc ſumus experti, ex quo ſemper nequiores & ſeditionibus magis addicti redierunt. Sub Decio facilius foret arenam maris,

quàm martyres qui ſub eo occubuerunt, numerare: in illa pugna atque preſſura innumeri milites cum ſuis ducibus & epiſcopis ſunt abrepti. At illo ſæculo nō omnes Chriſtianorum legiones in cāpo martyrij pugnarunt, ſed multæ quoque fugerunt in montana Arabiæ, & in ſolitudinibus & montibus oberrarunt: & quia legibus Chriſti non ſemper vt in legibus hominum pro victo habetur qui detrectat pugnam, neque vti apud Homerum qui fugit ſe aduerſario inferiorem virtute fatetur, cò fuga militi Chriſtiano non ſemper turpis & probroſa eſt. Qua de cauſa Dionyſius Alexandrinus dicit ſe ſine Deo fugam non cepiſſe. Et D. Hieronymus ſcripta illorum qui fugam in perſecutionibus omnino Chriſtianis interdicūt, merito prophana & ethnica appellat. Fugere in perſecutionibus nō eſt ignominioſum: ſed nolle fugere & excedere magiſtratu fugam & exiliū imperante, omnino Chriſtiano ignominioſum & probroſum eſt. Neque res prætexi poteſt aliqua principū virorum & copiarum authoritate: quibus freti, & quibus authoribus ſeſe in Gallia conſiſtere, & legibus eius viuere volunt.

Dionyſius & alij Chriſtiani cùm ab Æmi liano præfecto Ægypti iuſſi eſſent exire, non vnius diei data dilatione ex conſilio Chriſti abierunt, & aſperrima loca ſubinde in exilio mutarunt. In quo exilio illuſtriores, nobiliores & potentiores viri fuiſſe dicuntur: inter quos numerat hiſtoria Fauſtinum & Aquilam, quibus facile fuit militem colligere, copias exteras euocare, & ſeditionem facere. Diſciplina militaris Chriſti Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſię in perſecutionib' perſcribit, vt grauis armatura, quæ perſpectam fidem & fortitudinem ſuam habet ſeſe cãpo martyrij offerat, & vt leuis armatura hoſti ad tempus cedat, & ſeſe recipiat. Itaque ſi dicunt ſe mortem timere, quam ſibi imminere dicunt, & ſe non habere ſatis firmitatis & roboris ad durandum & ducẽdum primum vexillum, cur non fugiunt Domino & Rege permittente fugã? Chriſtus ipſe fugit, ille eſt via, quo nos ducit via dirigamus gradum. Apoſtoli diſcipuli primitiuæ Eccleſiæ patria pulſi, ignoti, egentes, deſerta peragrabant. Eamus ergo quo Apoſtolorum ſemita monſtrat, qui Deo monſtrante viam ambularunt. Nunquam

quam cum illis timidis, & qui de conſeruatione vitæ ſuæ adeo laborant; bene actum putabo, niſi cum de illis dici Maronis illud auderim.

Ire volunt, & omnen fugæ perferre laborem.

Sed illi quantum Lugduni nouiſſimè intelleximus in armis & ciuitatibus occupatis conſiſtere, donec de pace cum rege tranſegerint, decretum habet.

Pacem tertiam & vltimam rei militaris partem, rem omnino plauſibilem petere & proponere videntur, modo pacem ex legibus Chriſti pacificis & immaculatis inire & tractare vellent, quæ ab illo ita conceptæ ſunt. Pacem quærunto, pacem ſectanto, pacē cū omnibus hominibus habento. Pacis verbo intelligit Chriſtus veram & rectam pacem, quæ in homine eſt, vt ſpiritus præſit, caro ſeruiat, in domo vt iubeat maritus, pareat vxor: in regno, vt rex imperet, ſubditi obtemperent. Ita intelligendum eſt in iure feſciali Chriſti cum omnibus pacem habere, cuique ſuum tribuere, & nominatim regibus tributum, honorem, obſequium pręſtare, eā pace florēt regna. & vti corpora roboris ſui integrita-

te vigent, videlicet cum ſinguli locum tueẽtur quem à Deo ſortiti ſunt, & ſubditi in officio ſeſe continent, neque regibus leges dare & imponere conantur: & quemadmodum teſtimonio theologorum in cordibus hominum nulla ſtructura virtutum ſine humanitatis fundamento erigi poteſt: ſic inter regem & ſubditos nulla pacis fundamenta iaci poſſunt, niſi prius ſubditi ſe humiliter ſupplices regi ſubiiciant, & ei ſuas vrbes & omnia ſua iura ei reſtituant. Et ſi à Chriſto & eius cæleſti capitolio cilicem lapidem, quo olim fœdera percutiebantur petere velimus, ad percutiendum, ineundum & ſtabiliendum fœdus inter regem & ſubditos nullum alium lapidem pro fundamento præter ſubditorum obſequium dabit & indicabit. Qui cùm dicit eos qui poteſtatibus à Deo datis ſeſe opponunt, & ei reſiſtunt, ruinam in caput ſuũ parare & moliri, ſatis docet ſubditis infirmas fore, & caducas omnes paces cum rege niſi prius iactis obſequij & humilitatis fundamentis. Quod obſequium & ſeruitium vt in legibus feudalibus non ſufficit verbis exhibere niſi re præſtetur. Et cùm Chriſtus militibus ſuis perſcribit, vt regi-

bus neceſſitate ſubditi ſint propter conſcientiam, ſatis ex eo liquet eos milites Chriſti nõ fuiſſe, qui cõſciẽtia rebelliones ſuas prætexebant, & libertatem conſcientiæ pro velamento ſuarum ſeditionũ proferebant. Chriſtus ſuos ordinem humanũ obſeruare, & vt regibus tanquã pręcellentibus ſeſe ſubiiciant, imperat. Qua in re vt omnes ab hominibus excogitatas interpretationes & excuſationes excluderet, ſubdit rationẽ: quia voluntas Dei hæc eſt. Prætextu pacis & pacificationis antea leges regi impoſuerunt, & adhuc imponere conantur: quam pacem ſemper tractarũt, contra omnia diuina & humana iura. Cũ ſubditis cauſa belli probroſa erubeſcenda indigna triumpho eſt: ſic etiã cum ſubditis fœdus pacis & amicitiæ æquum regi inire turpe & probroſum eſt. Et illa fœdera ſunt indigna, quæ in tabulis æneis & columnis vetere more poſteritati prodantur. Turpe enim erit publicis tabulis euulgari, Gallos qui regi parere vltro & ſine cunctatione debuerant, leges & conditiones quibus regi ſeſe ſubmittebant præſcripſiſſe. Legibus enim & conſuetudinibus Gallorum ſubditi cum Domino, à cuius libera-

litate & beneficio omnia obtinent, & qui in illos imperium habent, nullum pacis, amicitiæ & ſocietatis fœdus inire poſſunt, ſed illos flexis genibus oportet pati, vt à Domino cingulo diſſoluantur, & gladio & clyppeo nudentur,& ita illos, & nõ alia ratione fœdus à rege petere oportet. Subditos in fidem & poteſtatem ſui regis fœderibus venire non conuenit: quia fœdera in iure feſciali nihil aliud ſunt quàm pactiones ſocietatis, quæ nulla eſſe poteſt inter ſubditos, & regem ſine regis ignominia. Itaque ſi pergat rex ex ſuperioribus fœderibus in communionem & ſocietatem ſuos ſubditos vocare, & illis certas ciuitates habere, & ſua ſeparatim ab aliis tractare concedat, vereor ne exteræ gentes illum alterum Romulum, cui propter communicatũ imperium geminæ in vertice criſtæ ſtabant, appellent, & fœda illa regi fœdera deteſtentur. Dextra regis iſtis hominibus non ſufficit, quamuis ex iure feſciali dextra vnicum ſemper fuerit regiæ fidei pignus. Denique ex eodem iure feſciali cũ fœdus inibatur inter quoſcunque iurare & Deum obteſtari ſatis fuit ad firmanda fœdera. At iſti regis fide & ſan-

ɛ̃ta promiſſione non cõtenti, ſemper cum rege ſponſionem facere voluerunt, quæ datis ſponſoribus, obſidibus & pignoribus fit. Quæ omnia cum rege ſaluo iure feſciali tractare ſubditus nulla ratione poteſt: quia ſola pacis ratio, ex legibus feſcialibus eſt, vt ſubditus in fidem & poteſtatem regis veniat per ſolennem deditionem rege rogante: deditis, ne vos & omnia veſtra in meam deditionem? & illis ſine cunctatione & exceptione aliqua reſpondentibus dedimus, & portas, quod magnum antiquis fuit pacis ſignum, pandimus. Philippus tres ciuitates Græciæ cõpedes Græciæ appellabat, quòd Græcia libera non eſſet illis occupatis. Itaque quandiu tres illas ciuitates in Gallia & regem in compedibus tenebunt, fas non eſt illos de pace cum rege verba facere, à deditione incipiendum, ſi pactionem aliquam legitimam & Chriſtianam cum rege inire volunt. In petenda pace à nouo rege, caueant ne faciant exemplo Ionatæ, qui petens fœdus ab Spartanis, per litteras adiunxit, ad illos permouendos vetera fœdera inter Iudæos & Spartanos inita. Nã ſi vetera fœdera pacificationis à Ca-

rolo rege extorta adiunxerint,regem à ſe alieniorem reddent: qui etiam imitabitur Auguſtũ, qui fœderis in triumuiratu initi,quo libertas dabatur omnibus ſeruis qui ad caſtra Pompeij confugiſſent, nullam rationem habere voluit, quòd diceret illud fœdus non iure, ſed per vim & iniuriam factum fuiſſe. Carolus rex cùm ſemel atque iterum illos per fratrem inuictiſſimum exercitus ſui ducem fugaſſet & viciſſet, noluit in victoria exultare, & Breni Gallorum ducis vocem illam, væ victis vſurpare. Sed maiorem ſui regni vaſtationem atque ruinam metuens, & vt afflicto ſuo populo à barbaris, illorum exemptionibus & deprædationibus aliquas ferias & inducias compararet, pacem cum illis facere coactus eſt magno cum animi ſui mœrore & luctu, ad quam nunquam venit, niſi more Athenienſium cum veſte pulla,quod illam cogeretur facere iniquiſſimis conditionibus, miſeratione ſuorum ſubditorum victus: ita vt victor à victis cõditiones pacis accipere cogeretur contra ius feſciale, quo nominatim cauetur victoris eſſe leges dare, & perſcribere quid victos habere & quibus

illos mulari velit. Et quod minus ferendum fuit in iure feſciali, à ſubditis armatis conditiones pacis accepit:quos æquũ fuerat inermes & datis prius ſeditionis & rebellionis authoribus in quos animaduerteretur, cum rege de pace agere, & leges militares perſcribant cum ſubditis armatis non pacificatione, ſed victoria pacem quærendam eſſe. Et quod minus ferendum fuit in æquis fœderibus nulla ſolennis reciperatio interuenit: qua caueri ſolet æquo fœdere, vt quiſque vltro citroque ſuum recipiat, & ſua iura nanciſcatur. Nam quis hoc ferat, illos inito fœdere reponi in priſtinum ſtatum, & omnia ſua iura illis reſtitui, & regem turbatum poſſeſſione ſuarum ciuitatum in illas non reponi, ſed illas manere apud iniuſtos poſſeſſores cum regis probro & iniuria? Hoc fœdus tam apertè iniquum, pacis nomen non meretur. Namque duæ dicuntur eſſe à theologis ſorores, quæ ſe mutuo amplexu ita oſculãtur, vt nũquã diſiungi queãt, pax & iuſtitia. Illi de pace in ſuis fœderibus verba ſemper faciunt: de iuſtitia; id eſt de reddendis ciuitatibus regi, & ſuum cuique tribuendo nullum verbum. Itaque nõ

ſunt illæ paces appellandæ, in quibus euidens eſt iniuſtitia & iniquitas. Et cùm rex ſe nouos ritus, nouáſque leges à ſubditis ſuis introductas ſe polliceretur conſeruaturum. Verbo ille conſeruandi, (vt veteres notarunt) imperio ſe abdicabat in ſubditos & illos ſibi imperare patiebatur. Olim fœdera iſta à feſciali & patre patrato regẽ non aliter religione obſtringebant, niſi cum illa clauſula, quod ſine fraude regis populíque fiat. Itaque antiqua illa fœdera in fraudem & iniuriam regis atque regni facta, nouo regi non ſunt proponenda, neque vlla ratione imitenda. Namquė illæ paces & pactiones dolo malo etiã non caruerunt, & in illis faciendis veterem illã fœderũ formulam, ſi ſine dolo malo ago, Si ſciens fallo, impiè ſemper vſurparunt, & animum illum fictum & ſimulatum filiorum Iacobi ineuntium fœdus cum Gabaonitis ad illos facilius opprimẽdos ſemper attulerunt. Vltimum ſignum olim inter militaria ſigna fuit porci effigies, quo pax ſignificabatur: quòd cæſa porca fœdus firmarent, qui fuit quaſi vltimis actus belli. Hoc planè ex Ethnicis illi omnino retinuerunt. Nam nunquam de pace cum

rege

rege ineunda niſi extremo loco, & rebus ſuis in extremum periculum redactis verba fecerunt, & ſemper vt pacis prætextu fruges colligerent, & copias ſuas repararent, & imprudentem regem & pacis fidentem facilius opprimerēt. Sed optimus princeps Charolus quamuis illorum vires debilitaſſet & fregiſſet, exemplo Romanorum qui cum victis quos omnino deletos eſſe nolebant fœdus faciebāt, eos ſemper ad pacem & concordiam humaniſſimè inuitauit. Quidam ex illis legationis nomine nouiſſimè regem Lugduni cōuenerunt: quibus cum meritò poſſet obiicere quod Iacob Abimelecho de pace cum interpellanti dixit: Quid me conuenitis, quē odio proſequimini, cuius ciuitates occupatis, & diripitis in dies & quaſi in conſpectu meo? Et poſſet etiam iure illis, inquā, illam fœderis conditionem, vt ſiue velint, ſiue nolint, quieſcant imponere. Humaniſſimus princeps illos (vt verba vetera & fœderum vſurpem comiter) id eſt ſine dolo malo) amplexus eſt, & reſpondit ſe bonis ſubditis optimum regem fore, & ſe eo animo in regnum veniſſe, vt omnes ſuos ſubditos obſequentes amplectatur pater-

na beneuolentia. Quo vno verbo humaniſſimus & ſapientiſſimus princeps omnes conditiones pacis, quæ inter ſubditum & regem eſſe poſſunt, illis propoſuit, videlicet vt ſi pacem & gratiam cum eo inire volent, vt generale illud pactum generis humani (à theologis vſurpatũ) obtẽperare regibus ſuis, ſequantur. Item pactum illud particulare fœderis & fidelitatis, quo omnes milites Chriſtiani obligati ſunt regibus ſuis, amplectantur ex vetere formula ſacramenti ita concepta: Iuro per Deum Chriſtum & ſpiritum ſanctum & per maieſtatem regis, quæ ſecundum Deum humano generi diligenda & colenda eſt (Nam illi tanquam præſenti & corporali Deo fidelis eſt præſtanda deuotio) me omnia facturum ſtrenuè quæ præceperit rex, & me illi fore fidelem omnibus diebus vitæ meæ ſine fraude vel malo ingenio. Hoc generali & particulari pacto nos conuenit rex, vt illis debitum obſequium præſtemus, & vt illi res, ciuitateſque ſuas reſtituamus, clarigat, id nobis prius exoluendum eſt & reſtituendum, ſi volumus cum rege pacem inire, authore Chriſto, quem antiquorum more obteſta-

ri non poterimus vt fœdus firmet, niſi prius erbam cum terra anuleam (ex vetere fœderum incundorum more) regi in ſignũ victi & abiecti animi obtulerimus & porrexerimus. Iacob vt ab Eſau maiore natu fratre fœdus & pacem obtineret, ſepties coram eo ſe inclinauit. Illi pacem & fœdus à rege obtinere volunt ſine aliqua vera & reali, vt ita loquar, homagij præſtatione. Niſi ab illis vetus verbum Pontificale, oro ueniam, ſine quo crimina eorum qui hoſtili animo aduerſus regem animati fuerunt, & contra illius proſperitatem machinati ſunt (qui perduelles & rebelles in libris noſtris appellantur) expiari nullo fœdere queunt, audiero: niſi illos omnia feciſſe, reſtituiſſe, exoluiſſe, repoſuiſſe ex formula pacis Conſtantiæ prima atque ſecunda intellexero, nunquam mihi perſuadebo pacẽ legitimè & Chriſtianè iniri poſſe. Qui pacem prout ſeſe offerunt neceſſitates & cõmoditates rerum, nulla auſpicij diuini rationis & iuſtitiæ habita ratione faciendam conſulunt, plane euertũt omnia fundamenta iuris feſcialis à Numa primum iactata, qui illis tribus neglectis impias & iniquas omnes pactiones publi-

cas ſanciuit vt illi ipſi qui pacem & bellum ita metiuntur (vt loquitur Plutarchus de regibus Macedonum) bellum & pacem loco monetæ quam vbi illis commodum eſt exponunt habent illis, barbare abutuntur, denique conſultoris eſt imprudentis pacem conſulere ob ea tantum quæ ob occulos ſunt, quia omnium prudentiſſimus Homerus eum qui conſulit & tractat de pace & ante & poſt ſe intueri oportere docet. Et ego in hāc ſententiā adductus ſum præteritarum pacificationū exemplo, quæ in rem præſentem tantum conceptæ pro modicæ pacis vſura ingētes nobis calamitates & ſtrages pepe̱rere: non quod abhorream à pace cuius ſum percupidus & ſtudioſus, denique turpe eſſet me alumnum muſarum quibus pro pace ſacrificatur, & reginæ matri pacis ſtudioſiſſimæ & cōſeruatrici addictiſſimū bellum ſpirare & vt meditari. Hoc enim maxime enitor vt vos in eam mentem pertraham vt pacem legitimis fœderum vinculis pietate, ratione & iuſtitia colligatam in honorē Dei vt vtilitatem regis atque regni in poſterū veſtris poſtulatis perſequamini. Quod ſi poſſum vobis ex authoritate

Chriſti & legum humanarum perſuadere,ſub Chriſtianiſſimo, & in fide tuenda & conſeruanda conſtantiſſimo rege pace & quiete fruemini ſecuriſſima, & conſuleris ſecuritati veſtræ,pro qua vos laborare tantum nunc profitemini.Nunquam ſecurus eſt latro domi ſuæ,niſi theſauro in mari proiecto: ſic niſi omnem cogitationem ſeditionis ex animo ſuo, tanquam ex domo eiecerint, nunquam ſub fide & authoritate optimi & humaniſſimi regis ſecuri viuent,& ſemper ab eo ſibi metuent, & illum & ſuos conſiliarios ex moribus ſuis æſtimabunt, nihil iniquè facere & moliri, maxima portio, teſtimonio philoſophorũ ſecuritatis eſt. Quandiu in armis & inſtitura rebellione perſiſtẽt, incerti, inquieti, timidi erunt, & odio Dei laborabunt, & perſecutionem patientur ab ipſis furoribus & erroribus ſuis: quæ nunquam patietur illos quietè & ſecurè alicubi conſiſtere: quæ tunc demum ceſſabit quando exemplo Aagar poſuerint ceruices, & ad dominum humiliter reuerſi fuerint. Itaque cum omnes illos propter ſeditiones & conſpirationes deteſtentur, & odio proſequantur,deſinant dicere ſe perſecutionem

pati pro Chriſto, quam factis ſuis impiis & ſceleratis patiuntur: & cum non habeant cauſam martyrum, ſed ſeditioſorum, deſinant martyrij gloriam quærere & ſibi attribuere. Deus iubet ſuos milites regibus & aliis à ſe præpoſitis ſeſe ſubmittere & committere cum timore, tremore & ſimplicitate cordis. Regna vetere more traditione gladij dãtur: Deus cùm porrigit gladium regi, ius vitę & necis ei dat. Iura item regalia in ſubditos ſuos recenſens Deus nominatim edixit illos habituros omnem vitæ & necis poteſtatem in ſubditos ſuos:

Deos vocaui. vos, dominos, necis
vitæque feci.

Et illi, quamuis iniquè interdum vtantur gladio, tamen noſtri reſpectu ius facere dicuntur: neque licet nobis vlla ratione illis ſe opponere, & vindictam armis & rebellionibus in illos exequi: quia teſtimonio philoſophorum vi reges corrigere & regere, etiamſi poſſis importunum & piaculi loco eſt:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iouis.
Qui iudicatum examinabit
Nequitia trutina ſeuera.

A regibus, quibus Deus noſtram vitam commiſit,& necis poteſtatem dedit,aliam vitæ ſecuritatem quam fidem regiam, qua regum regi Chriſto obſtricti ſunt, expoſcere; eſt Deo ipſi ſe opponere & contradicere, & timore mortis tribuni caſtigare, nos volentis manum retinere cõtra diſciplinam militarem. Quæ perſcribit militibus vt omnem vitæ ſuæ & fortunarum ſecuritatem collocatam & poſitam habeant in fide & protectione tribunorum,quibus Deus ſummus imperator eos commiſit. Securitatem omnem habent ex literis nouiſſimè Lugduni ad euulgatis:quibus humaniſſimus princeps voluntatem ſuam propenſiſſimam in amplectendis omnibus ſuis ſubditis expoſuit. & pro illorum cautione & ſecuritate omnem rerum præteritarum memoriam perpetua abolitione deleuit; & ex fœderibus olim inter patres & coniuratos initis veterem formulam ne cui ſit fraudi receſſio, ne quis eam rem ioco ſerióve cuiquam exprobret, renouauit,& ad ſua tempora accommodauit. Significans ſe erga ſubditos ſeditione labe laborantes non ſecus affectum eſſe, quàm medici erga ægrotos, qui morbum odio

habent, ægrotum diligunt. Nullas leges & conditiones fortunis & capitibus illorum imponit duriſſimas vti ſemper vſurpatum fuit, cùm ſubditi diſtracti à regibus reciperentur; nihil ſuauiſſimus princeps ab illis quod extra illos ſit, quærit: animum verè Gallicum, & ſuo regi addictiſſimum tãtum ab illis deſiderat. Quod ſi voluntati regiæ ſuam volũtatem accommodare ſecundum diuina & humana iura recuſent: vereor ne illorum contumacia regem ad ſeueriora edicta pertrahat, & ne in caput ſuum edictũ illud Artaxercis regis in Iudæos euulgari & proclamari audiant, hac forma conceptum: Duobus ſceptris decoratus rebus meis florentiſſimis nolui ſuperbire, & abuti potentiæ magnitudine, ſed in clementia & lenitate gubernare ſubiectos, vt abſque vllo terrore vitam ſilentio tranſigerent. Sed quia reipſa & certiſſimis teſtimoniis comperimus multos ex ſubditis noſtris, qui prætextu religionis & ſecuritatis ſuæ vitæ arma in nos arripiunt, nouis legibus & contra omnium hominum conſuetudinem viuentes, vniuerſæ Galliæ concordiam ſua diſſentione & rebellione violantes, regis & magiſtra-

tuum

tuum iuſſa contemnentes, quia abolitione generali propoſita neglecta, in noſtrũ cõplexum & fidem venire recuſarunt. Iubemus vt omnes deleantur, & vt nullus eorum miſereatur: ita vt nefarij homines ad inferos deſcendentes, reddant regno noſtro pacem quam turbauerunt. Vtinam, vtinam Lomani, hoc edicto illi indignos ſeſe reddant, regi parentes, & illius iugum vltro ſubeuntes. Vtinam cauſæ huius edicti falſæ eſſent, & per calumniam propoſitæ, vti in Iudæos fuerunt temporibus Artaxercis. Quam vellem Lomani, pro bono pacis & nomine Gallico vt in ſingulis criminibus à me enumeratis me vt calumniatorem conuincere poſſent. Sed ego nõ timeo pœnam legis Remiæ: quia nihil in illos dixi quod non ſit ipſa luce meridiana clarius, & quod ab ipſis propalam & in omnium oculis non ſit factum, patratum, ſcriptum. Et ideo omnia alia crimina quæ publicis teſtimoniis non nituntur exprimere nolui. Nõ me fugiebat principia caſtrorum ſuorum & ipſa caſtra contra diſciplinam militarem caſtrata non fuiſſe, & miniſtros, quos appellant Patres patrationem, vt rem obſcœnam obſoleto verbo

tergam feciſſe. Sed illa quod magis ad cõuitium, quàm ad illud quod ſatago, vt te ab illorum militiâ diſtraham, pertineant, attingere nolui, & delicta quæ magis militaria ſunt, quàm conuitia & magis ad argumentum meum accommodata pertractare volui. Pro quo bono opere, ſi me mole ſuorum conuitiorum vti lapidibus obruere pergant, ad aſylum militare, quod eſt in caſtris iuxta vexilũ mei ducis Chriſti me recipiam, & illiùs ſignum & aram amplectar, illũ obteſtabor me neque calumniandi & conuitiandi animo, neque cuiuſquam imperio & rogatu hæc ſcripſiſſe: ſed quæ ab illis impiè, crudeliter, barbarè dicta vel patrata ſunt, non potui verbis lenire, maximè quod conſtitutum habeam propoſito tibi tam impio & horrido militiæ ſpectaculo, te ab ea deducere, à qua ego me diſtraxi, vbi primùm ex certiſſimis ſcripturæ teſtimoniis & exemplis veterum patrum & primitiuæ Eccleſiæ comperi illos rem bellicam omnem, ſiue in pugna, ſiue in fuga, ſiue in pace cõtra voluntatem Chriſti tractare. Qui authoritate harum rerum & exemplis non permouentur, planè mortui ſunt. Itaque

ſum tibi author Lomani, vt quamprimũ ab illis te diſtrahas, & illorum ſocietati veterum more renunties: quia quamuis adhuc exultent in armis, & exteras copias expectent, & hîc expreſſa Chriſti teſtimonia, quibus reſpondere non poſſunt, cum conuitio contemnant: tamen prope eſt illorum exitus & internecio. Per aliquot dies vti piſces in eſca, ita in ſuis ſeditionibus exultabunt: ſed breui veniet piſcator qui trahet hamum. Olim leuiſſimè cũ illis conflictatũ eſt, quia ad illorũ vſurpationẽ & rebellionẽ interrũpẽdã cõſiliũ regis erat vetere more in interruptionibus vſucapionum vſurpato, arboris ſurculum deffringere, & illorum vires tantum frangere. Hodie in tanta illorum pertinacia, quaſi ſalute deſperata vereor ne maiores copiæ ad illos oppugnãdos, & radicitùs excindẽdos parentur. Itaque cupio te & illos ad humanitatem regis breui transfugere: ſed ſi illi in armis perſiſtũt, te receptui canere oportet ex hoc meo conſilio de armis tractandis ex reſponſis certiſſimis Chriſti & apoſtolorum collecto, & Lugdini in ipſo ſtrepitu & apparatu belli exarato. Argumentum hoc de armis à profeſſione

mea, qua vſus es antea in negotiis forenſibus, non alienum eſſe ſcito. Nam res militaris iuris noſtri pars eſt, & antiquit' hoſtem armis petere inconſulto noſtro oraculo, & nobis non probata cauſa & ratione mouendi belli nefas fuit, & celeberrimi quique veterum duces atque imperatores Iuriſconſultos non ſolum armorum authores, verùm & in caſtris rei bellicæ comites & conſiliarios habuerũt. Nunc autem in hac temporum nequitia iuriſperitis ad ſcholas & lites priuatas relegatis, res maximè tum pacis tum belli conſilio eorrum (apud vos) adminiſtratur, quos pro bono publico à conſiliis principum & virorum clariſſimorum, quibus aſſident, quàm longiſſimè & remotiſſimè ſtare præſtaret. Ex malis enim conſiliis capiendorum armorum à quibuſdã miniſtris principibus viris antea temerè & impiè datis, peſſimos & miſerimos euẽtus in hanc vſque diem experti ſumus: à quibus nũquã reſpirabimus, niſi in conſilium rerum noſtrarum adhibeamus eos qui magis diuinis quàm humanis reſponſis ſuas opiniones de re militari probarè ſolent, & nunquam vobiſcum benè feliciter, & quod maxime

cupitis ſecurè agetur, niſi immutata omni præterita veſtra ratione bellandi, rem militarem in pugna, fuga & pace ex præſcripto Chriſti tractare incipiatis. Cui⁹ omnia edicta ad verbum expreſſa, tibi hîc exibui hoc ſolum ſupereſt vt tibi caueas ab illis qui te ab expreſſa mente & verbis Chriſti deducere, quique ſuis interpretationibus & circuitionibus legi fraudem facere conabuntur. Qua in re licet imponant hominibus, Christo cuius teſtimoniis abutuntur non imponent & fraudem facient, &

curuóſque ſecuta eſt
Impietas fraudum anfractus, ſcelerata peribit.

teſtimonio Dauidis: cuius diuo vaticinio incipere hoc opus & finire voluimus.

Lugduni ad